DISSERTATIO
DE
EXSTIRPATIONE UTERI

QUAM

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS

INTER PUBLICA SACRI JUBILÆI GAUDIA

ERUDITORUM EXAMINI DIE 29mo OCTOBRIS

VERECUNDE SUBMITTIT

HENRIC. MATTH. WILH. KLINGBERG,

PROFESSOR ANATOMIÆ IN ACADEMIA ARTIUM ELEGANTIORUM,
CHIRURGUS LEGIONIS NAUTICÆ, MEMBRUM REGIÆ SOCIETATIS
MEDICÆ HAVNIENSIS, SOC. LITTERARIÆ SCANDINA-
VICÆ, ET SOC. MEDICÆ PHILADELPHICÆ.

RESPONDENTE

ORNATISSIMO HERMANNO BARCLAY,
CHIRURGO LEGIONIS NAUTICÆ.

HAVNIÆ 1817.
TYPIS ORPHANOTROPHII REGII EXCUDEBAT
C. F. SCHUBART.

Specimen hoc inaugurale, ſumma diligentia elaboratum, tam ſolidam autoris doctrinam quam expertum ejus judicium probans, Facultas Medica Univerſitatis Havnienſis digniſſimum judicat, quod pro ſummis in arte medica honoribus capeſſendis publicæ disqviſitioni ſubjiciatur.

F. L. Bang,
Decan. Facult. Medicæ.

PRÆFATIO.

Eo honore me dignata eſt Univerſitas Havnienſis, ut ad disputandum pro gradu Doctoris me benigne invitaverit. Huic benevolo jusſui ceu ſancto decreto obtemperaturus, disſertationem, quæ hic in lucem prodit, elaborandam ſumſi. Argumentum elegi, ob opinionum diverſitatem ſatis, utinam non nimis, disputabile. Quo ſuccesſu munus ſusceptum peregerim, peritiorum ſit judicium. Plurimis occupationibus diſtrictus, non omnes fontes adire potui, id quod non minus anguſtiæ temporis mihi concesſi vetuerunt: potiora tamen præſidia adhibui, et pro virili in uſum converti. Velim, viros illuſtrisſimos honoris mihi exhibiti non poeniteat!

CONSPECTUS.

Introductio.

Caput primum

sistens

Momenta operationis historiam spectantia.

Caput secundum.

De morbis in genere, sub quibus operatio est indicata.

Caput tertium

sistens

Specialiora momenta, quæ exstirpationem uteri inversi suadent.

Caput quartum.

De difficultatibus circa uteri inversi ablationem.

Caput quintum

De operationis nostræ sequelis.

Caput sextum

De ablatione totius uteri prolapsi.

Caput septimum

De ablatione uteri partiali præsertim ob cancrosam ejus adfectionem.

Introductio.

§. 1.

Omnia illa organa, ex quibus pulcherrime nexis corpus humanum compositum est, dum in multifariam actionem vocantur, eo conspirant, ut individui integritatem tueantur. Pro organi ſtructura et indole varia, ejus functio diversa hunc scopum communem intendit, et ut plurimum tunc demum quiescit, quando corpus exanimatur, et potentiæ extraneæ imperium adſvetum exercentes illud dissolvunt.

§ 2.

Functiones diversissimæ, quibus hæc organa se activa produnt, non omnes æque ad vitæ conservationem necessariæ sunt: dum nimirum nonnullæ a primo initio, a prima formatione usque ad ultimam

vitæ scintillulam, haud interrupto negotio persistunt, nec unquam absque exstinctione phænomenorum vitæ cessare possunt, alias ad tempus saltem absque molestia inhiberi videmus, quin nonnullorum organorum functiones propriæ mere ad singulas vitæ humanæ periodos restringuntur. Præ ceteris heic organa, ut dicunt, sexualia notanda veniunt: hæcce organa, sobolis propagationi destinata, demum pubertatis tempore rite evolvuntur, et debitum obtinent vigorem, qui deinde per certum tempus, in sexu seqviori ad certos annos limitatum, durat, dein quiescit, organis quidem persistentibus, sed eorum actione jam ut plurimum nonnisi vitæ vegetativæ conservationem spectante.

§. 3.

His legibus parens uterus sub pubertate, gravi suo muneri se accingens, fluxu menstruo prorumpente, suam altiorem indicat destinationem, abundantiam nempe virium vitalium, vel processum vitalem adauctum, qui jam ad im-

prægnationem, embryonis evolutionem, ejusque sequentem exclusionem tendit. Omnia illa, quæ utero sociata sunt, organa, functionibus sexualibus dicata, eodem tempore insolita alacritate gaudent, mulieris totam constitutionem, temperamentum et sensationes mire transmutant, atque adeo in cunctas ejus functiones vel vitam ejus universam efficacissime agunt.

§. 4.

Quamdiu in sana et incolumi femina istud stadium permanet, tamdiu functiones sexuales præ coeteris vigent regnantque, nec sine magno oeconomiæ animalis detrimento supprimuntur. Simulac vero tempus, quod naturæ lege ut terminus hujus periodi positum est, elapsum sit, uterus paulatim in ordinem illorum organorum, quæ vitam, ut dicunt, localem agunt, revertitur: eo jam mulier parum indiget, quia nunc naturæ ex instituto functiones organicæ tantummodo corporis conservationem adjuvant, at vires non tantum exuberant, ut propagationi ulterius prospicere valeant.

§. 5.

Hoc tempore, quemadmodum in puella, terminum maturitatis nondum assecuta, uterus adeo ut absens, salvis reliqvis, cogitari potest; quin mulierem hocce organo a prima inde conformatione orbatam, et functionum, quæ ab illo pendent, expertem, (adeo nec menstruatam, nec concipiendo parem) per seriem annorum vitam haud prorsus tædiosam, nec ab omni voluptate immunem protrahere posse, experientia repetita docuit. Plures autores nobis exempla sat luculenta ejusmodi lusus naturæ suppeditant. En præcipua: Realdus *Columbus a*), mulieris, cujus genitalia externa rite constructa erant, cadaver obducens, uterum, tubas et ovaria deficere observabat. *Bousquet b*) in foetu uterum et vesicam urinariam frustra quæsivit. *Meyer c*), in femina, quæ per plures annos militi nupta fuerat, loco uteri et vaginæ telam

a) De re anatomica Libr. XV. pag. 495.

b) Journal de Medic. 1757, Tom. VI. p. 128.

c) Schmuckers verm. chir. Schriften, Vol. 2. pag 299.

tantummodo cellulosam laxam detegebat, cui tubæ et ovaria erant adfixa. In hac muliere urethra valde dilatata, sine dubio a coitu nonnisi per illam perpetrato: idem observavit *Morgagni d)*, *Theden e)*, et *Klinkosch f)*, similes casus describentes. Plura ejusmodi exempla invenimus apud *Engel g)*, *Walther h)*, *Fromond i)*, *Hemmann k)*, *Boyer l)*, et alios *m)*.

Nec desunt exempla, quæ uteri fabricam tantum a statu sano deviare docent, ut in ossiformem substantiam mutata fuerit, et adeo ad vitam generalem nullam symbolam contulerit, ægrota tamen per

d) Ep's ol. anatom. XLVI. §. 13.

e) Bemerkung. und Erfahr. Vol. 2. pag. 241. Femina, in qua hunc defectum observavit, secundum jam matrimonium inierat.

f) *Hill* Dissert. de utero deficiente. Pragæ 1777.

g) De defectu uteri, Regiomont. 1781.

h) De obstetricum erroribus, Lipsiæ 1729 §. 7.

i) Imperforatæ mulieris uterum prorsus carentis observatio anatomica. Cremonæ 1744.

k) Medic. chirurg. Aufsätze Pag. 224.

l) Memoires de la Societé medic. d'emulation.

m) Recueil periodique Vol. 6.

longum tempus superstite. Talia leguntur apud *Marcellum Donatum n)*, *Fobertum o)*, *Mohrenheim p)*, *Mayerum q)*, *Millon r)*, *Sandifort s)*, *Sömmering t)*, *Mackin u)*, *Murray v)*, *Louis x)*, *Lieutaud y)*, *Schwartz z)*, et plures. *Richard Browne Cheston a)* illud singulare refert, in cadavere vetulæ, quæ 52 annis ante mortem signa graviditatis iterum evanescentia observaverat, globum osseum loco uteri detectum fuisse, ponderis 3 librarum, qui ope serræ transcissus,

n) De medica historia mirabili — Venet. 1588.

o) Journal de medic 1759, Tom. XI pag. 356.

p) Wiener Beyträge Vol. II. pag. 224

q) Commerc Litterar Norim. 1730. Spec. XXX. Uterus hic tantam adepta erat duritiem, ut non nisi ope mallei comminui posset, si fides sit habenda.

r) London medic. Journal Vol. V. pag. 401.

s) Observ. anatom patholog. Libr. I. cap. VIII. pag. 108.

t) Anmerkung. zu Baillie, pag. 219.

u) Phys. med. Journ. 1801, Nov. pag. 870.

v) Diss. de osteosteatomate Upsal. 1780.

x) Memoir. de Chir. Vol. V. pag. 26.

y) Histor. anat. medic. Vol. I pag. 398.

z) Dissert. de uteri degeneratione. Gott. 1799.

a) Medico-chirurg. Transactions 1814.

intus cavus foetum perfectum bene formatum continebat.

§. 6.

Ex supra allatis exemplis adeo discimus, vitam per sat longum tempus posse subsistere, quamvis uterus vel ita sit a prima conformatione constructus, vel morbo ita mutatus, ut destinationem suam haud implere possit, quid? quod prorsus abesse queat. Quamvis vero abesse possit absque ulla alia noxa, quam quae directe ab ejus propria functione intercepta pendet, exinde stricte concludi nequit, mulierem utero impune orbari posse.

In femina nempe matura rite conformata matrix ut pars integrans ex jam allato naturae consilio connubium arctissimum cum reliquo corpore init eo usque, ut quaevis alteratio ipsius functionum ut plurimum totum systema in consensum trahat. Vicissitudines dynamicae haud secus ac organicae, quibus matrix ad normam naturae sub variis vitae periodis obnoxia est, majores certe, quam

in aliis partibus corporis; phænomenis evidentissimis consensum hujus visceris intimum cum tota natura mulieris abunde produnt. Nec pauciora sunt symptomata, quæ hoc organon, simulac a statu sano discrepet, quam maxime in totam constitutionem influere doceant. De rebus sat cognitis hic ulterius disserere, vanum et inutile esset opus. Qvando igitur perpendimus sympathiam, quæ inter hoc organon et reliqvum corpus intercedit; ubi firmissimum illius cum partibus vicinis nexum spectamus, neque non consideramus, situs ejus quam sit absconditus, non possumus, quin primo intuitu illam abhorreamus ideam, quod ejusmodi viscus artis vel naturæ auxilio prorsus e corpore separari queat salva muliere. Quotidie videmus, affectus gravissimos ab hujus organi irritatione oriri, quid? quod exempla mortis subito per coitum immoderatum æque ac per venena orificio uteri admota inductæ haud deficiunt *b*). Altera autem ex

b) In Actis Societat. med. Havn, Vol. 3tio. pag. 178, a cl. *Manger* illud factum, justo minus cogni-

parte certe mirandum, quantas injurias hoc viscus absque incommodo notabili subsequente interdum sufferre possit. Quam multa persæpe non patitur uterus in partu difficili, quando foetus aut versione aut instrumentorum ope extrahitur? Ipsius uteri disrupti sanatio interdum succedit, teste clarissimo *Sabatier c)*, *Haden d)*, *Saviard e)*, *Desbois f)*, *Farquarson g)*, et pluribus. — *Douglass h)*, sub partu uterum ruptum esse et foetum ex eo in cavum abdominis penetrasse

tum nec, quantum scimus, ullibi commemoratum refert, rusticum, Fioniæ degentem, 3 feminas eo modo trucidasse, ut pulverem arsenici albi orificio uteri externo applicaverit. Experimenta in eqvis pluribus repetita veneni hoc modo applicati efficientiam illustrarunt, teste exper. *Abildgaard*, *Saxtorph* et pluribus.

c) Memoir. de l'acad. de Chirurg. Vol. VIII.

d) Transactions of a society for the improvem. of med. and chirurg. Knowledge Vol. II. No. 15.

e) Observat. chirurg. Paris. 1784.

f) Histoire de la societe de Medic. 1776 pag. 308.

g) *Duncans* Medic. Comment. 1788.

h) Observations on a ruptured Uterus, Lond. 1789.

detegebat; sed versione felicissima illum extrahere viro dexterrimo contigit, et mater non solum sanitatem pristinam recuperavit, sed iterum, quod notabile, foecundata fuit, et justo tempore infantem vivum peperit. Huc qvoque referri potest observatio de orificio uteri duplici, a *Reichartio* *i)* communicata.

§. 7.

Vulnera uteri in universum, quamvis certe nunquam non ominosa, tamen minime per se lethalia esse, observatio multiplex docuit. Plures Autores quidem, verbi causa *Celsus* *k)*, *Abenzoares* *l)*,

i) "*Cel. Fried.* in parturiente singularem uteri rupturam, duplex tactu orificium exhibentem, observavit, cujus causam inde deducit, quod foetus a situ perpendiculari paululum discedens in partus laboribus, capitis sui pondere partem lateralem, orificio vicinam, tam diu continua pressione attenuaverit, usque dum aliqua ruptura contigerit, quæ speciem orificii cujusdam artificialis, quod tamen post puerperium rursus obliteratum fuit, efformavit." (Dissert. de utero gravido una cum foetu vulnerato, Argentor 1735).

k) Libr. V. Cap. 27.

l) Libr. II. tractat. V. cap. III.

Boerhave m), *Heister n)*, *Juncker o)*, *Bohnius p)*, *Alberti q)*, Vulnera hujus visceris vix haud lethalia pronuntiant: experientia vero sæpius repetita contrarium omnino probavit. a) Uteri haud gravidi vulnerationes in universum vix lethales propter visceris compagem firmiorem, certe ob hujus organi situm absconditum, rarissime occurrunt, nisi prolapsus instrumento lædenti aditum paret; quod vero illas uterus interdum sine noxiis sequelis ferre possit, ex observatione in Actis philos. med. Sociec. scient. Hassiac. pro Anno 1771 elucescit. Mulier nempe prolapsu uteri molesto laborans, demum impatiens et mali hujus quam maxime pertæsa, ipsa sibi profundam incisionem in parte elapsa instituebat, insequente hæmorrhagia gravi, postquam vero contrahebatur uterus procidaus eo usque ut facili negotio reduci

m) Aphor. §. 170.

n) Chirurg. Cap. I.

o) Conspect. Chirurg. Tab. 61.

p) De renunciatione vulnerum.

q) Jurisprudentiæ medicæ Tom. I. cap. 14. §. 64.

posset. Ipsa hoc felici eventu instigata, posthac pluribus mulieribus eodem morbo afflictis simili modo auxilium tulisse narratur. Nec exercitatissimi medici vulnerationem uteri haud gravidi semper reformidarunt; Celeb. *Louis* v. c. *r*), ad calculum in cavo matricis formatum eximendum orificii uterini dilatationem forficis ope instituendam svadet. — b) Læsiones uteri gravidi certe ob diametrum vasorum mire adauctum majus periculum minantur, quin maximum, si uterus haud cito vel naturæ vel artis auxilio evacuari possit, quo facto volumen vasorum minuitur et labia vulneris sibi arctissime adprimuntur. Uterus gravidus quod vero interdum impune sauciari possit, docent illa multifaria observata, quæ nobis de felici successu Operationis cæsareæ tradiderunt *Rousset s*) *Fienus t*), *Roonhuysen u*), *Vaterus v*),

r) Memoires de l'academie de Dijon 1769 Vol. I.

s) De hysterotomotokia, Paris. 1581.

t) Chirurg. Libr. 8vo.

u) Observat. chirurg. L. 2. Observ. 1ma.

v) De partu cæsareo.

Th. Bartholinus x), (qui eandem feminam ter hac operatione a foetu liberatam vidit), *Gouey y)*, (qui eam septies in quadam femina c. successu institutam narrat) et plures, quorum hoc de argumento effata Celeb. *Sprengel z)* quam diligentissime collegit. Mira inprimis observatio, quod Æthiopissa in se ipsa hanc operationem fausto inventu suscepit *a)*. Per incisum uterum sub ejus procidentia completa foetum cum secundinis feliciter extractum esse, refert noster inclytiss. *Callisen b)*; observationem a *Schmuckero c)* communicatam legimus de femina gravida, cui taurus furibundus cornu perfodit abdomen tanto cum impetu, ut ex utero simul vulnerato brachium infantis in conspectum veniret: vulnere

x) De insolitis partus viis, c. 12. Hafniæ 1664.

y) Chirurgie veritable, Rouen 1716, — cfr. Journal de Med. Tom. 36.

z) Pyl's Repertorium für öffentliche u. gerichtl. Arzney-Wissenschaft, Vol. II.

a) Medic. Journal Lond. 1785, Vol. VI part. IV.

b) Syst. chirurg. Vol. II. pag. 530.

c) Vermischte chirurg. Schriften Vol. III. pag. 59.

isto et abdominis et uteri a cel. Dr. Med. *Fritze* dilatato, foetus cum secundinis extrahebatur; muliere non solum superstite, sed tempore nonnullo elapso iterum foecundata *d)*. Nec desunt ob-

d) Ad fabulas merito refertur casus a. M. *Crusio* (in Annal. Svevic. Francof. 1596, Part. III, libr. XI. cap. V. pag. 614) recensitus, quod nempe mulier per 6 hebdomadas gravida a tauri, ira perciti, cornu in latere arietata fuit, "ut eo perrupto interanea, et inclusus chorio vel secundinis foetus "una in lutum plateæ prolapsa sint. Accersitus "est balneator oppidi; *Joh. Hummelius*, qui hæc "cuncta in pelvi posuit, lacte abluit et mundavit. "Etsi autem nulla spes cuique erat, nec de foe-"tus, nec de matris vita; tamen ipse, cum mater "sic peteret, foetum cum adjuncto pondere cuncto "paulatim corpori ejus, (pedibus mulieris sursum, "capite deorsum conversis) rursus indidit, ven-"tremque 19 suturis consuit. Interea fuit mulier "ea patientia, ea magnitudine animi, ut chirur-"gum, circumstantesque homines et calamitate "ejus trepidantes ac dolentes consolata sit, jusse-"ritque bono animo esse, se omnia hæc quamvis "dura et acerba toleraturam æquo animo. Non "tantum ita hæc dextre sunt peracta, sed ipsa eti-"am per Dei gratiam convaluit, infantemque justo "tempore in lucem edidit; puellam quæ sacro la-"vacro tincta Annæ nomen accepit et amplius 8 "annos vixit, mater vero primum 30 annis elapsis "moriebatur."

servationes de aliis vulneribus, quæ fortuito uterum gravidum absque interitu mulieris læserint. Tale exemplum quam accuratissime descriptum exhibet Dissertatio *Reichardii e)*, mulierem nempe, in fine gravididatis, ictu sclopeti minoris (Pistol) globulis plumbeis admodum onusti in latere abdominis sinistro vulneratam, et die sequenti puellum vivum et vegetum enixam, cui vulnus a globulo plumbeo ciceris majoris magnitudinem æquante, super dextram claviculam inflictum: ex hoc vulnere frustulum linteaminis indusii materni, vi machinæ ignivomæ decerpti et illuc delati extrahebatur, globulus autem demum 7 diebus elapsis ex cute fere papyracea exscindebatur. Mulier dein per plures annos superstes, integra valetudine gaudens, excepto quod fistula diu et largiter suppurans in loco sauciato remanebat, haud ante secundum a læsione annum sponte occlusa et sanata. Apud *Langium f)*,

e) s. a.

f) Epist. Med. L. 2. Ep. 59.

narratio reperitur de gravida, a marito in regione iliaca dextra tam graviter cultro vulnerata, ut intestina prolaberentur: quibus repositis et vulnere consuto, tertio post vulnus inflictum die et sexto a conceptu mense, puerum occisum ægrota peperit, cujus dextram supremam calvariæ adhuc cartilagineæ partem culter uterum penetrans gravi plaga affecerat: mater vero chirurgi ope convaluit. Plura ejus afferre possem, quæ tamen prætereo, cum vix omnia fidem mereantur *g*).

§. 8.

Si itaque, quod ex supra allatis patet, uterus non solum prorsus deficere possit, sed quoque gravissimas injurias absque interitu mulieris perferre, nobis saltem admodum probabile redditur, viscus, cujus functio non absolute ad individui conservationem necessaria sit, et cujus fabrica non magis delicata, quam ut læsiones crudelissimas impune admittat, encheiresi artis vel totum vel ex

g) Vide *J. M. Hofmanni* Anatom. patholog. Spec. 9. §. 21.

parte auferri posse absque periculo mortis inevitabilis, si nempe eo usque vitiatum fuerit, ut unica salus de ejus ablatione pendeat. Hæc probabilitas magis augetur adtendenti ad Medicinæ historiam: ea enim abunde probat uteri exscissionem non semel nec ab uno viro, sed sæpius et variis temporibus cum felici eventu institutam fuisse. Quo autem melius et adcuratius de hujus operationis successu edoceamur, paucis, quantum in nobis est, illas respiciamus observationes, ex quibus aliquid certi de hoc argumento tam gravi, olim tam sæpe et tanto cum ardore disceptato, erui possit, præcipue habito respectu ad illos auctores, quorum observationes, me judice, fide minime indignæ sunt.

Caput I^mum

sistens

Momenta Operationis historiam spectantia.

§. 9.

Si attento oculo tramitem sequamur, quem nobis Medicinæ historia suppeditat, ab antiqvissimis inde temporibus exstirpationem matricis videmus commemoratam esse, ut sæpissime institutam et quidem insigni, quin stupendo cum successu. Fabulosæ antiqvitati certe justo majorem fidem tribuimus, si pro veris habeamus illa, quæ *Plinius h)*, *Soranus i)* et alii de castratione mulierum tradiderunt, eo nempe modo instituta, ut illis uterus excideretur: nec facile credere licet, ejusmodi flagitia, quæ *Cl. Wierus k)* et *Bauschius l)* narrarunt, recentiori tempore perpetrata fuisse. Si revera

h) Historia nat. L. 8. cap. 51.

i) De vulva et pudendis muliebrium.

k) Lbr. 4to de præstig. Dæmonum c. 20. Refert nempe pecudum castratorem filiam suam meretricem eo modo castrasse, ut illi uterum violenter extraxerit; cum in finem, ut deinceps proli esset inepta: idque feliciter successisse.

l) Procm. Traumatol. pag. 73.

unquam talia moliti fuerunt veteres (quid sceleris non audet humanum genus?) quod quidem præcipue a Lydis ea de causa institutum, ut puellæ florem pulchritudinis diutius conservarent, scribunt *Julius Alexandrinus m) Athenæus n) Rhodiginus o)*, et *Riolanus p)*, vero similius videtur, ovaria, more castrationis pecudum, ablata fuisse, quod censent *F. Platerus q) Diemerbrock r)* et *Th. Bartholinus* noster *s)*. Idem, si adsit ars ususque, nullo prope periculo in feminis fieri posse, asserit *Cardanus t)*. Plura de hoc argumento invenies apud *Georg Francum*, Prof. Heidelbergensem *u)*, *Theophilum Raynaud v)* aliosque. *Franc.*

m) Annotat. ad Galenum pag. 122.

n) Libr. XII Diphresoph. cap. 4.

o) Lect. Antiqvit. Lr. 20. c. 14.

p) Histor. anat. part. muliebr. c. 5. pag. 239.

q) Observation. L. 1. pag. 244.

r) Anat. L. 1. cap. 23. pag. 195.

s) Cent. 3. pag. 260; "nec dum, quod sciam, tentatum nostro seculo mulieres exemtis testiculis castrare."

t) *Dialog. Tetim inscript.*

u) De castratione mulierum. Heidelbergæ 1673.

v) Eunuchinati, facti, mystici, Lion 1655.

Rousset (de sectione cæsarea pag. 116) sequentia habet: "ii, qui in arte castrandi "bruta sunt graduati, uterum penitus "exstirpant." et inferius: "qui in hoc "arte sunt versatissimi, uteri majorem "partem exscindunt vel totum eximunt, "præsertim in gravidis." Vir ipse experientissimus ad indagandum, utrum eadem operatio, exemtio nempe uteri gravidi in hominibus institui possit, proponit, ut in feminis capite damnatis tentaretur.

His vero omissis, ad illos transeamus autores, qui experientia innisi, morbosi uteri exstirpationem cum successu fieri posse contendunt.

§. 10.

Jam cana antiqvitate hanc operationem notam et patratam fuisse, testimonio *Moschionis* patet, quem plerique Neronis tempore vixisse putant. Refert is nempe, jam apud antiqvos reperiri, eos uterum totum prolapsum exscidisse, eique operationi feminas supervixisse. Primus qui post illum, quantum scimus, hujus operationis mentionem fecerit, est *Aëtius x*):

x) Tetrabibl. 4. Serm. 4. cap. 76.

"Si pars prolapsa uteri," inquit, "temporis progressu per negligentiam computruerit, et ex adsidua urinæ irrigatione, et adhærentibus sordibus exulcerata fuerit, auferatur citra ullius periculi formidinem. Narrant enim, totum uterum putrefactum aliquando ablatum esse, et mulierem nihilominus supervixisse."

Paulus Ægineta y) iisdem fere verbis eandem relationem exhibet: "Totam vulvam subinde redemptam fuisse. nec mortem inde subsecutam, memoriæ proditur." Idem z) inqvit: "Si progressu temporis id, quod prolapsum est, putredinem fuerit expertum, idipsum auferetur, nullius metu periculi. Etenim vulva universa ablata, ubi computruerat, mulierem supervixisse commemorant."

§. 11.

Avicenna totum uterum abscissum refert et mulierem post operationem vixisse *a*). Ulterius adhuc progreditur *Avenzoar b*), eo argumento præcipue in-

y) Compend. art. med. Libro 6. Capit. 88.

z) Libr. 3ti, cap. 71.

a) Cfer. *Christ. de Vega* Comment. ad Hipposrat.

b) Libr. 2. tractat. 5. Cap. 4.

nitens, matricem ad vitam mulieris non necessariam esse. "Recordati fuerunt quidam medici, quod aliquando putrefiunt ligamenta matricis omnia, et exit matrix omnino, et permanet mulier absque matrice, et vivit sine diminutione aliquarum suarum operationum. Et dixit mihi quidam amicus meus, de quo et ejus veritate multum confido, quod vidit mulierem, cui omnino matrix exierat, et remansit viva, faciendo omnes suas operationes naturales integre et perfecte; et sic esse debet absque dubio, cum non sit membrum principale, nec aliquibus membris aliquid præstet utilitatis: nec præstat aliquod juvamentum in conservando vitam, nec inventum fuit ad illud."

Sic *Alsaharavius c)* prolabentis matricis curam tradens, inqvit: "Et curatur cum his (remediis) usque ad perfectionem sanationis: si vero hæc non sufficiant, oportet (uterus) auferri cum manuali operatione." *Joh. Matth. Ferrarius (Matthæus de gradibus)* in Commentario ad libr. nonum Rhazeos ad Almansorem

c) Libr. pract. tract. 20, cap. 7.

sequentia narrat: "Vidi unam Papiæ, de qua dicebatur, quod ab ea exierat tota matrix secundum partes putrefactas in diverso tempore, et supervixit per aliquot annos post." *Nicolaus Florentinus* hæc *d*): "vidi mulierem cujus matrix corrupta tota emissa est, et vixit postea multis annis, exercens negotia familiaria." *Anton. Benivenius e*) nec non *Dû Laurent f*) auctores sunt, mulieres, quibus uterus corruptus prorsus a corpore separatus esset, non solum superstites permansisse, sed etiam (si fabula vera) liberos procreasse. Eidem sententiæ accedit Clar. *Sylvius* (de mensibus mulierum) insuper præcipiens, "ut putre uteri corpus excidendum sit *audenter.*" *Nicol. Rochæus g*) partem prolapsam inutilem amputandam vel urendam svadet, quod ut asserit, nullius metu periculi fieri potest. Eadem docet *Bibikil h*).

d) Serm. 6, tract. 3, cap. 26.

e) De abdit. morbor. causis, cap. 11.

f) Libr. 7. de partibus generat. cap. 11.

g) De cur mul. morb. cap. 7.

h) Vide Marcell. Donatum de historia med. Libr. VI. Frcof. ad Moen. 1613.

§. 12.

Ex his satis superque liquet, veteres ipsam uteri amputationem haud reformidasse, neque ejusdem sequelas valde metuisse, sed eam audacter commendasse. Nec tamen auctoritati horum virorum nimium tribuendum: eorum effata nimirum illud dubium relinqvunt, an ullus eorum in hujus operationis exercitio ipse manum admoverit.

Initio vero seculi 16mi, inclyt. *Jacob. Berengarius*, vulgo *Carpus* dictus, huic argumento haud parvam affudit lucem, publicata observatione sequenti *i*). "Potest uterus pati omne genus morbi, sæpe procidit, et totus potest extrahi a corpore, durante valetudine. Unam matricem corruptam ego vidi extrahi integre in terra Carpi a Genitore meo, quæ sanata est, et diu vixit. Ego etiam *Bononiæ* extraxi unam aliam integre, quæ erat gangrænata, An. 1507, Mense Majo, quæ supervixit sana. Unam aliam, scilicet matricis receptaculum præcipitatum

i) Isagog. Anat. *Bononiæ*, 1523.

extra ventrem et corruptum, me præsente nepos meus ex fratre Damianus extraxit integre, et in coetu doctorum et multorum Scholasticorum Anno 1520 die 5 Oct. Ista ultima, nomine Gentilis, erat uxor *Christophori Brianti* Mediolanensis, habitantis *Bononiæ*, quæ hora ista 1523 10 Junii est sana, et exercet negotia familiaria, et relatu ipsius et sui mariti in coitu emittit semen, *et habet menstrua temporibus debitis*, res notatu digna. — Ejus dicta ulterius confirmat *Joh. Langius k*); se nempe toto biennio illam, cui *Carpus* uterum abstulerat, crebro vidisse, eamque per totum hoc tempus optima asserit valetudine gavisam.

Christophorus a Vega l) refert similem casum: "Complures," inqvit, "mulierem uteri procidentia laborantem vidimus, cujus uterus extra computruit: Chirurgus tamen totum abscidit ad collum usque, et non paucis deinde annis vixit. *Hieron. Mercurialis m*) et *Ludovi-*

k) Epist. med. Tom. 2. epist. 39.

l) Comment. ad aphor. 18 Libr. 8 Hippocratis.

m) De morbis mulierum Libr. 4to.

cus Duretus n) se uterum muliebrem exstirpasse, memorant sine ullo metu, sine ullo vitæ periculo. *Wierus o*) mulierem, cui uterus abscissus fuerat, postea foecundatam et infantem sanum peperisse narrat. Eadem testantur *Zacutus Lusitanus p*) et *Felix Platerus q*). *Fernelius r*) se refert vidisse parturientem quandam, cui *uterus cum foetu incluso* sine ullo dispendio vitæ ablatus esset.

§. 13.

Istarum vero observationum tanta vis non est, ut perfectam persvasionem afferant, matricem revera in his casibus exsectam fuisse: multæ potius rationes sunt, quæ attentiores in contrariam sententiam ducant: tanto magis jam eminet observatio *Ambr. Paræi s*) viri dexterrimi, qui sub fine seculi XVI (1575) non solum operationem ipse instituit,

n) Adversar. in Holleri libros de morbis internis cap. 57.

o) Observar. med.

p) Prax. Med.

q) De part. corpori hum. structura et usu.

r) cfr. cent. *Barthol.* 2da, Pag 334.

s) De hominis generat. cap. 41.

sed sequenti dissectione verum uterum exstirpatum fuisse monstravit. Femina nempe, triginta circiter annos nata, per aliquot annos tumore in vagina, cum sensu ponderis gravantis quam maxime molesto, et effluxu saniei subrubræ, citrinæ et pallidæ vexata, post vomitum vehementem sentiebat magnum corpus sibi e genitalibus excidere. *Paræus* accersitus cum pluribus medicis examinans tumorem, a signis manifestis putredinis et corruptionis ad ejus exstirpationem inducebatur. "Per 2 dies," inquit, "sensim, frustatim et sine dolore corpus extraximus, quod nobis uteri corpus esse visum est. Cujus rei fidem fecere unus ex *testiculis* (ovariis), qui integer extractus est, et crassior membrana reliqva ex mola, quæ suppurata, rupto abscessu, sensim diffluxerat; revulso omni ejusmodi corpore, melius ægra habere coepit: et tamen ante exstirpationem novem totos dies urina suppressa fuerat. Dehinc omnia sibi, naturæ suæ et stato cursui reddita sunt, totumque trimestre sana et egregie incolumis mulier supervixit,.

donec suborta repente pleuritide interiit. Dissecta a me et singula sedulo exquirenti, *nusquam comparuit uterus*, sed ejus loco callosum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam in nobis otiatur, jacturam ejus partis quasi reparatura, vel lacunam alvi repletura, substituerat."

Obductio cadaveris in hoc casu satis ſuperque docuit, uterum eradicatum fuisse: sine dubio hic adfuerat inversio uteri, lente exorta et demum in completam transiens, cujus exempla quamvis rarissima quoque in recentiorum observationibus post hac adferendis reperiuntur. Dolendum est coeterum, virum experientissimum non plura de methodo, qua operationem perficiebat, verba fecisse.

§. 14.

Eodem fere tempore, anno nempe 1581 aliud opus prodibat, quo circa argumentum nostrum vix ullum majorem medicantium attentionem in se convertit, libellus nimirum cl. *Francisci Rousset* de *hysterotomotokia* v. sectione cæsarea, postea

a cl. *Casp. Bauhino* latine redditus c. adjecta adpendice. Autor iste celebr., quo magis profligaret metum ex tanta matricis læsione oriundum, curam non parvam in id impendit, ut quam plurimas observationes de uteri læsionibus gravioribus colligat, quatenus nempe illis evinceret quantas et quam crudeles hujus visceris injurias mulier superare valeat. Huic consilio intentus, plures historias de illa operatione, qua uterus eximi possit, adducit. — Semel se refert *t*) præsentem adstitisse exstirpationi matricis, ad quam demum artis periti refugerant, postquam cetera auxilia irrito conatu attentata essent: alio tempore ipsius suasu uterus gangrænescens excidebatur; sed successum operationum reticet. Refert porro historiam *u*) de utero mox post partum inverso; qui cum haud reponi posset, Chirurgus *Petr. Mauricius* eum ligavit, abscidit, et postea cauterio ursit: Sanitate recuperata mulier, quod

t) Sect. IV. Hist. I.

u) Pag. 105.

notatu dignum, cum marito concubuit absque voluptate. Similem exitum habuit operatio in altero casu, quem *u*) exponit; subito nempe inversus uterus, cum reponi haud possit, ligatura constrictus, demum aliquas post septimanas sponte excidit: "ipsa vero ægra jam convaluit, munia domestica rectius, quam ante hunc adfectum obiens." Apud *Bauhinum v*) invenimus ejusmodi quoque exemplum, ubi uterus post partum prolapsus, pilei inversi instar, refrigeratus et nigrescens, a *Cl. Meichsnero*, primum ligatura utrinque instituta, fortiter constrictus, altero die ("erat enim infelix astrorum adspectus") abscissus fuit: id quod ob molestum onus mulier ipsamet serio expetebat. Resecta procidua parte, mulier melius se habere cæpit, et relicta portio repente se retraxit, nulla notabili hæmorrhagia succedente. Femina sanata postea valuit ita, ut multis annis superstes remaneret, quin peste demum correpta hanc feliciter vinceret.

u) Pag. 107.

v) Id. libr. pag. 212.

Ex regulis, sub operatione observandis, a cl. *Rousset* adductis, eum sat adcurate inversionem uteri ab ejus prolapsu distinxisse patet. Postquam nempe uteri in puberibus prolapsum criteriis iis insignivit, quod per foramen in apice organi propendentis sangvis menstruus promanet, addit: "Sed si per hoc foramen pluribus de causis relaxatum ipsum corpus uteri tanta mole procidat, quod quotidie accidere solet, tunc foramen id non amplius conspicitur, sed totum assimilari potest magno vini cantharo, qui in superiori parte ovalem figuram habet, sed inferne minorem: inferne vero alia est rotunditas superiore longe major, absque tamen foramine: in medio autem manifesta conspicitur coarctatio, binas has partes aliquo pacto separans, quod nihil aliud est, quam os uteri dilatatum. Et tunc observatum fuit, ex tota illa parte inferiore in juvencis sangvinem menstruum debito tempore profluxisse. Hic est intermedius angustior locus, cui ligatura injici debet — si vero supra ma-

nifestam illam coarctationem (uti aliquando factum) ligatura fiat, id cum dolore summo et etiam cum periculo conjunctum erit. Dein exiguus, aut nullus dolor, quem massa illa carnea prolapsa (uteri fundum puta) tum persentit, etiamsi duriter tractetur, dum reducere est animus, prædicta attestatur. Est enim, ut verum dicamus, Os ipsius uteri, quod exquisito sensu præditum est, non autem ipsius uteri corpus."

§. 15.

Quamvis in hoc morbo, cujus diagnosis non adeo facilis, dubia exsurgere possunt, annon interdum, quin sæpius a polypo, uterum inversum mentiente, decepti sint isti viri clarissimi, ex supra allatis attamen colligi posse videtur; *Roussettum* plures vidisse casus extra puerperium, ubi uterus revera inversus fuerit. Sangvis menstruus, ex tumore scaturiens, præsertim pro hac sententia loqvitur; quod vero illam ulterius probat, est aliud exemplum, eodem a viro adductum, certe maxima attentione dignum. Postquam nempe valde doluit, sibi haud conces-

sum fuisse secare cadaver mulieris, cui pluribus ante mortem annis uterus sensim elapsus, dein putrescens, sponte excidisse narrabatur, sequentia prodit: "Cum ob plures difficiliores partus *Petrina Boucher*, jam provectæ ætatis, uteri prolapsu longo tempore laborasset, qui sensim adeo auctus, ut amplius in locum naturalem reponi haud posset, tandem gangræna affectus putruit, et sponte a corpore prorsus separatus Anno 1574, dum urinam esset redditura, excidit, nec tamen propterea lecto se continuit, et toto triennio adhuc optime valens supervixit, nisi quod, (ut ipsa narrabat) ab illo tempore cogebatur diligentius quam prius partes inferiores a frigore externo custodire, aut certe doloribus colicis divexari. Tandem (me absente) cum febri continua interiiset, et jam sepulta esset, post reditum unice me rogante factum, ut Magistratus permissu rursus exhumata fuerit, et per *Felles*, chirurgum, Anno 1577 22 Novembris in præsentia *D. Contugonii*, Medici, obstetricis et alio-

rum aperta fuit. Nec aliud inter vesicam et intestinum rectum eo loci, ubi uterus a natura positus fuerat, quam locus vacuus observatus, per quod foramen facile et absque obstaculo magnæ novaculæ manubrium indi et eximi poterat: et per hoc revera frigus externum ingrediebatur, et dolorem colicum causabat, reliqvis vicinis partibus cicatrice obductis: nam ab elapso et ablato utero, neque sanies neque purulenta aliqua materia emanaverat."

Ex hoc casu, certe rasissimo, quin quantum novi, in artis historia unico, uterum inversum gangrænescentem sponte prorsus separari posse videmus, quid quod per hiatum vaginæ remanentem intestina, quod mirum, non prolapsa fuisse comperimus. Ovariorum et tubarum situm et statum, quatenus nempe hæc organa a justa norma alienata fuerint, autor, quod dolendum, tacet.

§. 16.

Eodem fere ævo *L. Scholtzius y*) se

y) Epist. med. Francof. 1598.

uterum post partum inversum, scrotum æquans, per forficem candentem abscidisse refert. *J. Della Croce z*) et *Vobisc. Fort. Plempius æ*) se uteros prolapsos sine incommodo exstirpasse commemorant. *Molinetti a*) se pluries adhibuisse, et tutissimam semper esse expertum uteri amputandi rationem præsertim in vetulis, contendit. *Galinaria b*) hæc tradit: "et ego vidi mulierem habentem matricem inter coxas pendentem et putrefactam, cui abscissa fuit, et adhuc illa per plures annos vixit." *Joh. G. Volkamerus c*) mentionem facit uteri *ex virgine* procidentis resecti, cujus historiæ ulteriori commentationi eo lubentius supersedemus, quia ipse sat ingenue fatetur, tumorem a latere vaginæ exortum fuisse et post abscissionem nullam in eo cavitatem detectam.

z) Cfr. Hall. Biblioth. chirurg. P. I. pag. 229.

æ) Anat. Cabrolii cap. 34.

a) Dissert. anat. pathol. Libr. 6. cap. 12.

b) Cfr. *Marcell.* Donat. de historia med.

c) Ephemer. Germ. Tom. II.

§. 17.

Tot et tantæ imo plures Observationes, memoratu dignæ, de felici mali gravissimi medela, ad hoc ævum (initium nempe Seculi decimi septimi) in lucem editæ, non potuerunt quin artis magistros ad operationem audacter suscipiendam instigarent, quamvis pro certo haberi posset, iis haud ignota fuissi exempla de eventu ejusdem operationis minus fausto, qualia v. c. jam tum retulerunt *Hildanus d)*, mulierem exstirpatione uteri inordinata subito exstinctam docens, et *Gilibert e)*, qui refert, se vidisse foeminam, cui uterus mox post partum fuisset inversus, sat diu superstitem sed vitam miserrimam egisse.

Paulo post feliciter surrexit *Henricus ab Heer f)*. Vir clar., nescio, quibus rationibus ductus, operationis periculum sentiens et præsagiens, se illius institutioni acriter sed frustra opposuit, suamque dein sententiam tristissimo illius

d) Observ. chirurg.

e) Advers. pract. pag. 84.

f) Observation. med. Leodii 1631 XXII pag. 192.

eventu comprobavit. En observationem: "Adstiti agyrtæ," inquit," qui uterum ad magnitudinem ovi anserini prolapsum cum sectione se curaturum diceret, nec ullis argumentis meis, qui aliam curandi viam proponebam, cederet. Roganti etiam, ut saltem in uterum prolapsa intestina vel quidquid esset (durissimum enim se tactu offerebat) aliudque quam aquam aut flatum esse certo certius affirmanti, primum loco suo, supinata muliere, reponeret, nec quicquam ab eo præter mala verba referrem, Fac, "inquam," quod facis: mihi tyrannicam illam audaciam et imperitiam spectare nec libet nec licet." Nondum domo pedem extuleram, cum immani clamore et ejulatu introrsum vocor: convellebatur vehementer a sectione patiens, cumque animam non dubie agentem viderem, extremam unctionem afferre jubeo, sed justo serius: exspiravit enim in fine sectionis, in qua adstantibus omnibus vel fuga sibi consulentibus, alvina enim copiose prodibant excrementa: utero cum contentis in aquæ

adstantem situlam projectis et lotis, intestinum colon, ad cubiti fere longitudinem sectum, omnibus visendum præbui."

§. 18.

In hac historia cæteroquin egregia adcuratam descriptionem genii tumoris inviti desideramus; quantum conjectare licet, tumor, quem chirurgus temere abscidit, vel uterus fuit simpliciter prolapsus, intestina secum devolvens: vel hernia vera per vaginam prorumpens. Integram hanc quæstionem dubiam relinquo; certum est, illam observationem haud parvam attentionem inter artis peritos excitasse: id quod, quantum nobis indagare licuit, vel exinde manifestum est, quod exempla operationis post hoc tempus multo rariora in artis thesauro occurrunt, quodque ille ardor illaque fiducia, qua antiqviores illam commendabant, non amplius in scriptis Autorum proximi temporis conspiciuntur. Horum præcipua tamen in complementum historiæ adjiciam.

§. 19.

G. Wedelius g), illis scriptoribus proximus, matricem rariore et extraordinario casu excisum narrat; itidem *Zwingerus h)* in femina, quæ per 10 dies uteri prolapsu afflicta fuerat, tumorem jamjam maxima de parte sideratum, nigrum et sensus expertem, ligavit, quo facto, tumor qaurto die excidit, et ægra prorsus convaluit. In ultima hac observatione notandum, virum clarissimum sedulo monuisse chirurgum, qui ligaturam instituebat, ut studiose caveret, ne urethram simul comprehenderet: quam artis regulam vir optimus, sine dubio veterum audacia monitus, ex diligentiori cognitione structuræ et situs partium utero vicinarum prudenter duxit.

§. 20.

Contra *Gerh Blasius i)*, eodem ævo (Anno 1670) degens, prudentem illam, ut ex sequenti observatione patet, cautionem neglexit. "Curæ meæ" inqvit," commissa

g) Dissertat. de procidentia uteri cap. 4.
h) Act. naturæ curios. Vol. Imum Observ. 80.
i) Observat. med. 2da.

mulier 28 annorum, robusta, in qua corpus teres, insignis magnitudinis, ad pudenda se offerebat. In decumbente circa partem superiorem, ubi pudendo proximum, crassitiei illius erat, quam duplici Spithama comprehendere non licebat: ast quoties incedebat, elongabatur adeo, ut etiam genua ipsa attingeret extremo suo. Durum omnino hoc et scirrhosum corpus observabatur. Difficile valde, hic aliquid certi determinare, idque eo magis, quod haud adeo firmæ mentis mulier hæc deprenderetur, adeo nec de causa mali, nec de tempore quo inceperit, vel augmentum sumpserit, vel ullo alio ad dignotionem et curationem scitu necessario non informare apta. Rei gravitatem considerans in nosocomium publicum eam deferri curavi. Heic exstirpationi quod multum a multis tribueretur, ad eam deventum est: ast minus fructuosa fuit: 5tio enim die ab eo, quo ligatura primo injecta, obiit ægra. In aperti cadaveris ventre uterus desiderabatur, utpote qui totus inversus extra corpus dependeret, intra sui cavum testiculos et

uterina ligamenta continens: vagina extensa et mire incrassata: non minus crassa hic fuit uteri substantia, adeo ut etiam digitorum transversorum 3 crassities hic notaretur, cultro dissecanda, antequam in cavitatem devenire liceret: *ureter uterque* ad digiti minoris amplitudinem *distentus* erat, forsan *quod viæ urinariæ a fascia ob viciniam constrictæ.*"

§. 21.

Infortuniis hisce permoti, medici jam de discrimine operationis magis anxii operam majorem impenderunt perscrutando indolem ejusmodi tumorum, et determinando, quomodo partes utero vicinæ sub ejus descensu se haberent. Inter primos, qui veterum sententiam, quod nempe isti tumores magni, ex pudendis prolapsi, semper ab utero essent formati, infringere adgressus est, sine dubio fuit patriæ nostræ lumen, immort. *Thom. Bartholinus k)*: "Vidi," inquit, "in Nosocomio Patavino 1641 dissectam mulierem, quæ prolapsum uteri a partu

k) Vide ejus Cent. 2, hitsor. 58.

difficili ante 10 annos passa credebatur. Narravit, se in prato cubantem observasse uterum descendere et gramen venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum sangvinis, ut distentus et niger in putredinem degeneraverit. Judicabat Chirurgicas operationes nobis demonstrans *P. Marchettus*, non esse uteri procidentiam, sed excrescentiam aliquam in vagina uteri, adeoque abscindendam. Alter Nosodochii Chirurgus familiaris pro uteri stetit procidentia, quum excrescentia *subitum ortum incrementumque habere non possit.* Mulier interim secari volens, inter ambigua consilia ad mortem properavit. — In aperto cadavere uterum suo loco sanum et bene constitutum vidimus, excrescentiam vero ex uteri vagina dilacerata pendulam."

§. 22.

Clar. *Job a Meeckeren l)* cadaver mulieris simili tumore per longum tempus correptæ secando, matricem non solum quoad externa legitime se habentem re-

l) Observ. anat. medicis.

periit, sed et loco debito collocatam. Idem autor se refert tumorem magnum ex genitalibus mulieris 53 genariæ propendentem, jamjam sphacelosum, ligatura et cultro abstulisse: 6to post operationem die viribus ægrotæ tam fractis, ut "*Deo animam*, *nobis corpus* exhibere cogeretur," uterus perfecte sanus, et locum solitum occupans reperiebatur; vestigia tumoris monstrabant, illum a vagina ortum duxisse. *Theodor. Kerkringius m*) binos exhibet casus, in quibus similia observata fuerunt. Eodem tempore contigit, ut *Meekeranus* una c. celebri *Roonhuysio* pluribusque medicis tumorem similem, quem omnes uterum suspicarentur, insignem, ponderosum foetidumque foeminæ cuidam 35genariæ exstirpaverit: in tumore, postquam exstirpatus erat, adstantes sibi persvadebant, uteri cornua, et ovaria se detegere posse. Elapsis vero aliquot diebus, quid de re statuendum esset, constitit; menstrua enim apparebant, et post nonnul-

m) Observat. anatom. 20 et 52.

lum tempus signa graviditatis se declarabant.

§. 23.

Scientia anatomica hoc tempore opera clarissimorum virorum, *Bartholini*, *Harvæi*, *Kerkringii*, *Riolani*, aliorumque magis elaborata et inter alia dogmata uteri functione magis illustrata, quam plurima dubia jam surgebant contra fidem veterum, quatenus nimirum creduli statuerint, functiones utero proprias remansisse in illis ægrotis, quibus ipsi se hoc viscus exstirpasse contendebant. *n*). Recte quidem monet immort. *Morgagni* *o*), hanc doctrinam aliqua de parte defendendam, si rarissimum illum, certe interdum occurrentem, casum (quale exemplum, inter alios, venerandus noster *Callisenius* *p*) observavit) ponamus, mulierem veram exstirpationem matricis perpessam, duplici a primordio utero instructam fuisse, adeo ut uno exsecto, alter superstes fuis-

n) Vide supra allata a *Benivenio*, *Sylvio*, *du Laurent*, *Berengario*, *Wiero*, *Zacut. Lus.*, *Platero*.

o) De sedib. et causis morb. Epist. XLVIII.

p) cfr. Collect. Societ. med. Havn. Vol. I. pag. 146.

set. Hæc dubia adhuc increscebant junctis experientiis repetitis supra dictorum virorum, *Meekrenii*, *Kerkringii*, et *Roonhuysii*, de tumoribus nimirum sarcoticis, uterum prolapsum mentientibus. Quid adeo mirum, si viri isti, sæpius in diagnosi decepti et de priscorum erroribus convicti, eo usque in contrarium cucurrerint sententiam, ut non solum parvi ponderaverint illa, quamvis pauca exempla, quæ inprimis nobis *Paræus* et *Rousset* de uteri vera et comprobata ablatione reliquerunt, ut non solum omnem exstirpationem uteri vanam declaraverint, sed adeo despicientes, quæ ab antiqvissimis inde temporibus multiplici et fida observatione explorata et evicta fuerunt, contenderint, uterum nunquam e sede nativa prolabi posse. Argumenta, quibus hanc doctrinam stabilire conati fuerunt, maxima ex parte ex anatomia desumpta sunt, quatenus nempe tam firmam credunt uteri per ligamenta sua sustentationem, ut neutiquam delabi possit. "Quod si scriptores," inqvit

Meckeren, *q*) "illud laboris sumerent, ut ligamentorum uteri alæformium structuram examinarent, firmum id adeo, firmiterque vicinis connexum reperient, ut impossibile sit, separationem hic ullam dari, nisi quæ cultri acie peragitur: *nullo enim pondere extrorsum* (deorsum) *moveri potest.*" — Hanc deinde sententiam eis verbis concludit, "ut vana sit procidentia uteri perfecta, adeo impossibile omnino mulieri uterum totum auferre, integra manente vita, salvaque conceptione." *Kerkringius r*) cultro anatomico se dicit impugnaturum eorum sententiam, qui uterum foras prodire et extra corpus ipsum propendere existimant.

§. 24.

Horum judicium seqvitur *Car. Musitanus s*), de prolapsu uteri dubitans, inversionem vero prorsus denegans, et quidem duris verbis. *t*) . Similia docet *Joh.*

q) cfr. *Bonn. Sepulchret* libr. III. sect. 32 pag. 42.

r) l a.

s) Weiberkrankheiten, S. 568.

t) Diese Medicastri bilden sich ein, die Mutter stehe eben so umzukehren, wie ein Strumpf: und der un-

Bapt. Verduck u), matricem nunquam prolabi posse, sed tumorem, quem uterum crediderunt veteres, non nisi productionem vaginæ adfirmans. *P. Barbette v)* uterum posse inverti haud negat, prolapsum vero non concedit; "membranas pubis (vaginam?) experti sumus, "inquit," eo usque se extendere, ut homines Chirurgiæ imperiti eas pro ipso utero sumpserint et etiamnum sumant: nam uterum sine vitæ periculo posse exscindi, quemadmodum multi scribere ausi fuerint, perito anatomico intolerabile censetur."

§. 25.

Hæretica hæc doctrina clariss. virorum, veterum dogmata de uteri prolapsu, ab ipsius Hippocratis auctoritate sancita *x)* et per tot secula ab omnibus recepta,

verständige Pöbel hällt es noch für ein groß Wunderwerck, daß die Mutter durch das große Loch der Schaam nicht gantz und gar herausfalle.

u) Chirurg. Schriften, Leipzig 1712, 2r Theil, S. 289.

v) Chirurg. Libr. I. Cap 8.

x) Ille Vir eximius (in libro de morb. mulier. N 37) verba fecit "de utero penitus ex pudendis propendente ad modum scroti."

labefactare studens, mox tantam seditionem inter coævos excitabat, ut undecunque convenientes fortissimis argumentis et observationibus fidissimis honorem Hippocratis vindicantes brevi sectatores hujus novæ doctrinæ opprimerent. Sic *Cornelius Stalpartius van der Wyl y)*, *Peyerus z)* et multi alii, si non omnes, inter quos solum modo afferam duo illa ingenia præclarissima, *Ruyschium* et *Morgagnium*, hoc argumentum tractantes non modo rationibus et experimentis sed etiam artis historia solide demonstrarunt, uterum, quicquid adversarii perhiberent, omnino et inverti et prolabi posse.

§. 26.

Ita demum seculi dubiis sublatis, evictum de novo fuit, revera matricem tantum a sede sua naturali posse divaricare, ut ablatio ejus nonnunquam arte fieri possit. De successu vero operationis nondum inter artis peritos conveniebat: multi enim, quin plurimi, an felici-

y) Observat. chirurg. rarior.

z) Exercitat. anatom. med.

ter instituti posset, dubitabant. Hocce dubium maxime movebant progressus, quos eo ævo Anatomia fecit, quibusque indicationes ad operationem instituendam sensim intra arctiores limites coercebantur: nec non aucta numero exempla infausti successus operationis, quamvis fausto augurio tentatæ. En quædam clar. virorum, quæ huc spectant, judicia.

§. 27.

Th. Bartholinus a) jamjam operationem difficillimam et nimis periculosam existimaverat, partim ob firmam connexionem uteri c. partibus vicinis, partim ob insequentis hæmorrhagiæ metum. Exemplo sibi a Regio Archiatro D. *Paulo Mothio* communicato hanc suam opinionem confirmat. "Nobilissima Matrona Chilonii Holsatorum, 5 ante filiorum mater, foetum vivum, quem 40 hebdomadibus commode satis gestaverat, semihoræ labore sine ulla molestia feliciter exclusit, remanentibus tamen secundinis, quas solvendo et extrahendo

a) Cent. 2dæ Obs. 91.

Obstetrix uterum simul extraxit. Inter operandum puerperæ sciscitanti, quomodo negotium succederet, respondit secundinam se quidem habere, sed subsequi carnis partem sibi incognitam. Adstantes feminæ molam esse credentes, sibique sæpe id evenisse asserentes, obstetricem ad extrahendam carnem exstimulant, quæ omnia etiam validiore manu, irrito conatu et renitente carne, jussa exseqvitur. Advocatus D. *Mothius*, sine voce, nutu et pulsu puerperam invenit, vereque mortuam pronuntiat: occupata deinde obstetricis sede, immissaque sub lecti stragulis manu, ipsum uterum integrum, marsupii instar propendentem, et ab utroque latere perforatum obstetricis digito, deprehendit, adstantibusque monstravit, vere tunc mortuam sero credentibus *b*)."

b) Alia ejusdem ævi Observatio, nempe cl. *Segeri* (Miscell. nat. curiosor. A. 1671,) de excrescentia sphacelosa, paulatim per vulvam protrusa, et ope ligaturæ sensim ablatæ, ut obductio demortuæ postea evicit, tantummodo polypum attigit, cujus petiolus crassus pelvim adeo replebat, ut digito nullus aditus pateret.

§. 28.

Præterea *Joh. Conradi Peyerus* c) operationem se semel perfecisse tradit, sed lugubri c. eventu. Exemplum illud autoris ipsius verbis haud pigeat adferre. "Accidit Anno 1682, mense Martio, ut vidua ex diuturna et gravi uteri procidentia laboraret. Primum quidem ante plures annos, cum uxor adhuc marito frueretur, leve malum fuit, nihilque aliud quam vaginæ laxamentum: postea vero conceptione et partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inversa promineret, ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra sibi identidem ipsa reposuit, et pila cerea utcunque firmavit, donec novissime difficulter parturienti uterus edito foetu in vaginam propendulam delaberetur. Pensilis massa carnis spithamam longitudine æquabat, crassitiem utraque manus facile complecti haud potuit, et tantum doloris ægrotæ creavit, ut subinde mortem præoptaret. Inferne per patulum uteri ori-

c) L. s. all.

ficium menstrua statis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapsam manibus nostris aliqvoties palpavimus, quæ tamen inversa haud erat, ut oculis conspici posset; sed latens intra vaginam propendulam tractari potuit et comprehendi manibus. Illa sursum aliquando compulsa nativam sedem cum saltu repetiit: ast vaginam in pristinum restituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii superesset, et alia atque alia mala imminerent, hanc amputare visum est (quomodo?). Eventu autem spem non implente, ægra mortem occubuit (quando?). Docuit postea anatome uterum revera procidisse, totamque vaginam fuisse eversam. Adhæc, quod magis mirum et plane novum videtur, cum utero vesicam simul mutata sede procubuisse annotavimus. Nec tamen rupta fuerunt uteri et vesicæ vincula, sed tantum laxata. Resipiscant ergo *Kerkringius*, *Roonhuysius* et *Meekeranus*, siquidem adhuc in vivis sunt, sententiamque suam erroneam et perniciosam moniti retractent. Cæteri demum, quot-

quot hæc lecturi sunt, et quorum ista novisse interest, vel nostro exemplo discant scrupulose ponderare omnia ac ubique magnam adhibere diligentiam cautionemque, ne, cum delinqvant ipsi, tum seducant incuriose alios, vel seducantur."

Hæc observatio sat candida et ingenua certe non parvi ponderanda est. Quamvis vir optimus nihil addat de modo, quo operationem instituit, nec de læsionibus partium, quas obductio cadaveris exhibuit, verosimile est hic non solum vaginam sed etiam partem inferiorem uteri, nec non recessum posteriorem vesicæ a ligatura vel cultro læsa fuisse. Ex toto adeo elucescit, autorem nondum rite cognovisse nec satis perspexisse, quomodo vesica et urethra ut plurimum sub prolapsu vaginæ a situ naturali devient. Recentissimis temporibus fere sub simili circumstantia, eventuque non magis fausto eadem fuere perpetrata, de quo plura infra.

§. 29.

Prodiit tandem vir ille, de medicis disciplinis egregie meritus, *Fridericus*

Ruysch, cujus effata nostrum argumentum magnopere illustrant. Observationibus castis innitens, præ ceteris ille probavit, et figuris accuratissime delineatis exposuit, quomodo vesica et urethra sub prolapsu uteri a sede naturali aberrent, exinde quantis periculis prematur operatio, si sub tali rerum statu illam temere adhibeamus. Prima ejus observatione *d)* edocemur, quantum sub uteri prolapsu simul descendere possit vesica urinaria; figura hanc observationem illustrans superficiem totam anteriorem tumoris prolapsi a vesica occupari exhibet: si igitur in hoc casu tentata esset exstirpatio tumoris, læsio vesicæ evitari non potuisset, quod revera accidisse, observatio sequens veri cl. 7ma docet. "Mulieri, inqvit" 30 annos circiter natæ uteri admodum incrassati propendentia tantam adferebat molestiam, ut incedere vix potuerit. Consultum fuit uteri exstirpationem post injectam ligaturam moliri. Acu ergo, tri cipiti, filo duplicato munita, operatio-

d) Observ. anat. chirurg. Centuria Anno 1691.

nem aggressus quidam magister, ligavit satis fortiter uterum e corpore propendentem: ast utinam nil præter eam partem acu et filo comprehendisset! Patiens per diem unum atque alterum nihil reddidit lotii, quod nobis ansam dedit suspicandi, meatum urinarium simul filo esse constrictum, prout eventus quoque docuit. Ægrotæ miserandæ, brevi post denatæ, cadaver aperui, et conjecturam nostram non inanem fuisse advertimus; scilicet meatum urinarium simul cum uteri corpore tam arcte ligatum, ut nil lotii reddere valuerit." In Thesauro anatomico 8vo (Anno 1701) historiam tradit idem clar. Vir de tumore genitalium ligato et post 2 dies resecto, quem et ipse et alius in consilium vocatus Medicus uterum esse existimabant: eventus vero docuit, tantummodo polypum esse. His addit: "si uterus fuisset prolapsus, qui ligatus esset, moriendum fuisset ægræ: utero nempe prolabente, prolabitur quoque vesica propter cohæsionem naturalem circa utriusque os: idcirco incaute judicant nonnulli, sexum deterio-

rem posse supervivere post uteri prolapsi exstirpationem: ego autem censeo, illud haud fieri posse sine vitæ dispendio. Ante annos 40 semel vidi hanc operationem institutam a Chirurgo quodam temerario, præsentibus variis Medicis et Chirurgis, in Nosocomio Amstelodamensi, quibus persvaserat, sine vitæ periculo se illud posse perficere. Quid fit? Acum satis longam et crassam, filo munitam, transigebat per tumoris fundum inter labra uterina, inter quæ uterus propendebat, filumque fortiter circumvinciebat, sed altero die vitam c. morte commutabat, et sic mihi dabatur occasio expiscandi, quæ esset causa mortis tam subitaneæ." Intus in tumore reperiebat Cl. vir ovarium simul c. tuba exindeque (annon nimis præcipitanter?) concludit: "itaque monendi sunt chirurgi, ut nunquam tam periculosam, imo detestabilem suscipiant operationem, ne mortem inevitabilem concitent: felix enim, quem faciunt aliena pericula cautum." Ex alia observatione liquet, virum clarissimum sibi haud semper constitisse, aut saltem vario

tempore de eadem operatione varie judicasse: in obs. 30ma nempe sequentia monet: "uterum prolapsum et in prodigiosam molem auctum exstirpari posse ex observationibus præcedentibus patet, quod tamen nunquam moliendum sine catheteris immissione in urethram, antequam ligetur uterus ne tam abominabile malum similiter sequatur, quale in præcedenti observatione refertur." Pugnat saltem hoc ejus judicium cum supra allatis, nec inter cunctas ejus observationes ne singulam quidem mihi invenire licuit, e qua exstirpationem feliciter institui posse manifestum esset.

§. 30.

Paulo postquam *Ruyschius* tam graviter in operationem invectus esset, initio nempe seculi 18mi, in publicum prodibat Observatio cl. *Sleevogt e)*, quæ fautoribus hujus artis auxilii novum adferebat solatium: præsentibus nempe plurimis medicis, quin ipsis Professoribus *Jenensibus*, magnum corpus e mulieris na-

e) Vide Observ. *v. Sandenii* de prolapsu uteri.

turali exsectum, excrescentiam credens, cum a sordibus purgaret, præter opinionem deprehendit, illud thecæ instar crassæ uterum c. tubarum reliqviis secundum naturam se habentem continere: mulier illa autem feliciter est restituta. Minus prospero eventu *Vieussens f)* feminam 3genariam per ligaturam et abscisionem a tumore permagno subrubro ex genitalibus protruso liberabat; dubia, qui ante operationem de morbi natura fuerant, (nonnullis enim uterum, alii vaginam inversam suspicantibus), dirimebantur exploratione tumoris post amputationem, manifesta signæ uteri præ se ferentis; vires ægrotæ quam maxime fractæ, ita ut ab operatione ad mortem usque miserrimam vitam protraxerit: elapsis 10 mensibus, fluxus periodicus quamvis paucissimus apparuit per 5 menses recurrens, donec tandem ægra enteritide correpta abiret. In cadavere vulnus firma cicatrice consolidatum reperiebatur, et parva portio colli uterini super-

f) Cfr. Sabat. Chirurg. I. Vol. pag 327.

stes, ex quo verosimiliter Menstrua fluxerant. — Felicius successit eadem operatio clarissimo *Dietrich* g), qui uterum inversum scirrhosum ligatura et abscissione exstirpavit, muliere superstite. *Anselin* h) similem habet observationem, de qua judicium difficile: uterum in parturiente 44 annorum mox post partum complete inversum felici negotio reponebat: subsequebatur effluxus saniosus, foetidus ab utero, sub quo evacuabantur frustula multa sphacelata, quæ ex illius opinione matricem ipsam indicabant penitus corruptam sensim exfoliari: deinde vagina, inqvit, prolabebatur, et quidem scirrhosa: hanc demum ligatura prius instituta abscindebat et ægrota eousque convaluit, ut menstrua iterum apparerent. Hæc observatio sane quam maximis premitur dubiis: nec enim demonstravit vir exper:, matricem revera fuisse separatam, nec tumorem illum, quem se abscidisse narrat, a vagina ipsa for-

g) Rede von einem wahren Vorfalle und glückliche Absetzung des Gebärmutter, Regensburg 1745.

h) Journal de Med. Tom. 25, pag. 458.

matum esse: inprimis hic desideramus explorationem adcuratam partium genitalium post operationem; quin menstruus fluxus permanens uterum haud ablatum fuisse indubio prodit. *Cl. Quequet i)* quæ in eadem hac observatione ei manca et falsa visa sint, demonstrare conatus est multis argumentis, quamvis, ut quid censeam libere dicam, minus persvadentibus. His occurrit quidem *Anselin k)* sed rem æque dubiam et obscuram relinqvit.

Majorem fidem meretur observatio *Cl. Mülleri l)* Appingedamensis. Refert, se tumorem reperisse in vagina mox post partum obvium, cui pars placentæ firmiter adhærens nonnisi vi aliquali solvebatur. Tumor ille, membrana tenui glabra obvolutus, ab initio tantus, ut vaginam fere occluderet, sensim diminuebatur: ægra vero ex lecto surgente, ad labia usque pudendorum delapsus tan-

i) Ejusd. operis Tom. 27, pag. 72.

k) Eod. libr. pag. 479.

l) Vide Commentarios Soc. med. Haarlemensis Anno 1770, pag. 257.

ta creavit incommoda, ut vir optimus illam per ligaturam auferre haud dubitaverit. Ægra quidem convaluit, sed catamenia haud postea fluxerunt. Ipsum uteri fundum inversum per ligaturam ablatum fuisse, inde concludit vir exper., quod placenta ei adhæserat, et quod intus cavum erat, membrana polita obvolutum. Audaciam operationis eo defendit, quod de inversione uteri non persvasus, ad suspicionem sarcomatis pervenerit.

§. 51.

Exemplum evulsionis uteri quam horrendum et maxime temerarium nobis exhibet *Cl. Figuet m*). Anno 1768 Femina 43 annos nata, se ob defectum menstruorum quintam mensem graviditatis assecutam credens, doloribus partum instantem simulantibus correpta fuit. Plures obstetricantes illam explorabant, et caput foetus se palpare asserebant, jam in apertura pelvis inferiori hærens. Duobus vero diebus elapsis, et rebus haud mutatis, obstetricans Chirurgus impru-

m) Journ. de med. Tom. 41, pag. 40.

dens et audax, illud, quod caput infantis esse suspicabatur, hamulo fortiori, conatu iterato tam violento, ut instrumentum rumperetur, extraxit. Valde attonitus de figura corporis hoc modo evulsi, foetum nullo modo referente, illud ut specimen rarum et monstrosum pluribus medicis visendum præbuit: at quid hi melius edocti adcuriatiori inspectione detegebant? Nihil, malum! præter uterum integrum, figuræ et voluminis soliti, c. ligamentis latis et rotundis disruptis prope ad illum locum quo utero adhærent: uterus evulsus undique cinctus erat portione vaginæ dilaceratæ, et orificio ejus accretus erat polypus durus magnitudine ovi anserini, in pluribus locis vulneratus et laniatus. Quod hic maxime mirandum, ægrota, tam crudeliter sauciata, quamvis ab initio debilissima, tamen aliquòmodo convaluit, et per plures annos vixit, remanente fistula, per quam urina continuo flumine prodibat: sub exploratione vagina firma cicatrice consolidata reperiebatur. Sic natura ser-

vavit, quam ars frustra trucidare fuit conata!

§. 32.

Jam accedimus ad illam, qua vix ulla majorem nostro argumento lucem adfert, observationem accuratissimam sicut rarissimam inclytissimi *Henr. Aug. Wrisbergii n)*, exemplum exhibentem temeritatis in obstetrice, et virium naturæ medicatricium illi supra allato vix inferius. Anno 1780, 7 Junii viro optimo a Chirurgo *Hepe* tradebatur massa carnea magna, quam duos ante dies e muliebribus puerperæ cujusdam mox post partum protrusam obstetrix cultro resecuerat. Primo intuitu uterum esse cognovit Vir clar., exacte illo in loco amputatum, ubi cum vagina ex naturæ instituto cohæret; tubam fallopianam in utroque latere in medio perscissam, et ovarium dextrum adhuc adhærens facili negotio distingvere licebat. Partus ipse facillimus et maxime naturalis fuerat: sub placentæ vero extractione rudiori matrix simul complete

n) In commentationum Vol. Imo pag 436 et sequentibus expositam.

invertebatur; tumorem ingentem ex sinu pudendorum propendentem obstetrix mox cultro majore resecuit. Gravissima insequebatur sangvinis profusio, eaque quidem tanta, ut ægra mortuæ instar per 2 dies integros sine ulla cura et medela soli naturæ beneficæ commissa jaceret: quo tempore elapso, vires tantisper redierunt, ut medicorum auxilium flagitare posset. Explorando ægrotam exp: *Wrisberg* in suprema parte vaginæ notabilem hiatum versus abdomen patentem tetigit, et in ipso hiatu molliusculum lubricum corpus sensit, quod sub inspiratione digito obvium descendebat, sub exspiratione vero iterum recedebat. Vesica lotio repleta et Int. rectum illæsum. Spongia madefacta in vaginam immissa prolapsum intestinorum præpedire jam conatus fuit: interne roborantia adhibebantur, et ægrota post 3 menses eo usque convaluerat, ut viam unius cum dimidia horæ pedibus absolvere posset. Hiatus iste sensim constringebatur et post nonnullos annos fere omnino occludebatur; ipsa mulier, quamvis haud menstruata et ex con-

consvetudine mariti nullam voluptatem percipiens, alias sat bene se habuit. Sub nisu validiori et onerum graviorum gestatione semper vaginam corporibus ex abdomine descendentibus repleri sentit, mox autem iterum regredientibus; nec non referebat, sibi singularem frigoris in abdominis intimis obvenire sensationem, si ventus moveretur, quasi äer per apertam vaginam infimum ventrem penetraret. (Notatu dignum est, similia expertam fuisse illam mulierem, cui *Rousset o)* commemorat uterum per gangrænam secessisse.) Observationem his verbis concluditVir optimus, ut "ansam fortasse præbere posset novæ operationi, in quibus inveniendis et multiplicandis nostrum ævum adeo luxuriatur, ut ad sanandum deplorabilem sexus seqvioris morbum, erotomaniam et uterinum furorem matricis exstirpatio proponeretur." Problematicam demum cogitationem adjecit, annon exstirpatio matricis in casu schirrhi vel carcinomatis hujus organi suscipi possit?

o) V. supra, pag. 33.

§. 33.

Nec recentiori tempore operatio nostra prorsus oblivioni fuit tradita. *Marschal*, chirurgus Argentoratensis *p*), refert, se anno 1783 in ægrota, 61 annos nata, uterum prolapsum, scirrhosum permagni voluminis, per ligaturam et incisionem abstulisse; cum autem hic deficiant indicia cêrta, eum revera uterum exscidisse, nullum de hac observatione judicium ferre licet.

§. 34.

Majori cura et diligentia elaborata est observatio a cel. *L'Aumonier*, chirurgo primario nosocomii Rotomagensis, communicata *q*), quam nobis hic paulo prolixius enarrare liceat. *Anna Proprien* Anno 1747 post puerperium prolapsu uteri fuit afflicta, qui 6 sequentibus partubus magis magisque increscebat; pluribus annis elapsis, observabat ægra, mutationem figuræ tumoris istius, quem ipsa toties propria manu reposue-

p) Hartenkeils med. chir. Zeit. 1794, pag. 136.
q) Medicine eclairée par la physique pr. Fourcoy, Tom. 4. Pag. 33.

rat: apex nempe tumoris perforatus jam in tumorem magnum rotundum absque ullo orificio mutabatur, ejusque repositio jam difficilis et semper incompleta. Sub hoc stadio dolores abdominis soliti ingravescebant, excretio alvi et urinæ difficili negotio succedebat, et mænorrhagiæ frequentes adfuerunt. Mense Aprili 1784, sub forti nisu mingendi, matrix et vagina subito prorsus invertebantur tanto c. impetu, ut clamitaret, sibi esse, ac si omnia intestina e corpore exciderent: exploratione se præbebat tumor quam maximus extra pudenda propendens, fortissime labiis majoribus adhærens, inflammatus et in superficie anteriori macula gangrænosa notatus.

Pluribus in consilium vocatis collegis, Vir opt., incisionem circularem per partem superiorem tumoris, scilicet vaginalem, instituebat supra maculam gangrænosam, et dein incisione circulari vasa denudare conabatur; sed morbus diuturnus tantum mutaverat texturam vaginæ, et eousque induraverat, ut sub

instrumento scindente stridorem ederet ad modum materiæ cretaceæ; vasa ideo non denudare potens, filo forti vaginam in eo ipso vulnere circulari applicato constringebat, et ad digiti infra ligaturam transversi distantiam tumorem præscindebat. Hæmorrhagia insignis ex 4 truncis arteriosis proveniens, nonnisi validissima constrictione fili cessavit; deligatione simplici vulnus muniebatur, quæ per 3 dies continua pressione manuali sustentabatur. Primis diebus status ægrotæ miserrimus: sensim autem remediis roborantibus et nervinis vires redibant: ligatura 7mi die decidebat, et post mensem ægra absque ulla difficultate ambulans nullum fere incommodum querebatur, nisi dolorem intercurrentem ad tractum ligamentorum rotundorum, et sensum gravativum in vagina, qui exinde oriri videbatur, quod portio aliqualis tumoris remansisset, quæ iterata ligatura deinde post plures hebdomades mortificata sponte decidit. Ægrota jam ad aspectum sana solita negotia peregebat; post mensem vero dolore gravi abdominis cor-

repta obiit. Apertura cadaveris, processu verbali et plurium medicorum testimoniis firmata, magnum abcessum omenti monstrabat *r*), uterum prorsus deficientem, vaginam solito breviorem superne fornicatam, et cicatrice firmissima clausam, cui pars superstes tubarum et ligamentorum teretium concreta erat.

Hæc observatio in plurimis cum illa a Paræo instituta conveniens, casum illum, certe rarissimum, inversionem uteri lentam, exhibet; dolendum, tumorem abscissum non ulterius examinatum fuisse.

§. 35.

Cl. Faivre refert *s*), se anno 1786 puerperam vidisse, cui uterus statim a partu inversus tantum intumuisset, tamque inflammatus esset, ut in pristinum locum reponi nequiret. Post catheterem vesicæ immissum, ligatura forti partem superiorem tumoris constringebat: subsequebantur symptomata gravia, vomitus, convulsiones, tensio abdominis,

r) Confer. Celeb. Paræi observationem supra allatam, pag. 27.

s) Journal de med. Tom. 68, pag. 215.

febris e. s. p., quæ, quamvis sensim mitigata, ad 27mum diem perdurabant, quando demum matrix demortua separabatur. Succedebat effluxus puriformis, foetidus, ex vagina per mensem continuans. Ad præcavenda mala, quæ a fluxus menstrui suppressione oriri possent, fonticuli utrique femori applicabantur. Ægrota prorsus convaluit.

§. 36.

Exemplum matricis Ao. 1787 a clar. *Desault* exstirpatæ legimus *t*) communicatum a clar. *Montmeillant*, chirurgó Nosodochii Parisiensis Hotel Dieu. Polypus magnus in hoc casu suo descensu uterum simul inverterat: locus ille, ubi Vir dexterrimus ligaturam applicabat, in media parte uteri inversi erat: ipsam ligaturam sequenti ratione injecit; filo, cujus extrema in formam annuli curvata erant, locum ligandum cingebat; deinde per hos annulos fasciam fortem transigebat et hoc artificio filis quam arctissime constrictis fasciam nodo chirurgico fir-

t) Journal de medic. Tom. 72, pag. 259.

mabat. Alterum simile filum eodem modo in parte opposita petioli applicabat. Duobus diebus elapsis, tumor in gangrænam abiit: pars uteri a ligatura comprehensa jam multopere coarctata erat, et quidem eo usque, ut strictura omnino relaxata esset: hanc adeo ligaturam abstulit, acum, quem pro setaceo adplicando adhibemus, filo duplici cerato munitum per angustatam hanc tumoris partem trajiciebat, deinde duplici hoc filo, quorum unum anteriorem, alterum posteriorem petioli partem comprehendebat, tumorem strangulabat, et deinde distantia pollicis infra ligaturam abscindebat. Massa soluta, quam formabat polypus et fundus uteri, quinque libras ponderabat. Pars superstes paulatim in vaginam adscendit; post aliquot dies fila decidebant, et 40 diebus elapsis, sanatio ægrotæ completa erat. Pluries post hoc tempus illam se vidisse refert Auctor cl., et quidem sanitatem, qua nunquam antea gavisa esset, conservantem.

§. 37.

In medical Annals 1799, observatio a cl. *Huntero* exstat de inversu utero, penitus exstirpato, cum successu quam maxime felici. D. *Joseph Clarke u*) refert similem casum sibi Ao. 1805 obvenientem. Tumorem ex sinu pudendorum prorümpentem primum polypum esse suspicabatur, eumque ligatura auferre conabatur. Dolores ex hoc conatu surgentes violentissimi ligaturam vero injectam iterum solvere cogebant. Aliquo autem tempore elapso magis descendebat tumor et jam uterus ipse esse detegebatur. Ligaturam jam iterum admovebat, tumorem præcidebat, et intra 6 hebdomades ægra convaluit. Quia vero autor hujus observationis nullam mentionem facit de iis phænomenis, quæ indicabant, tumorem abscissum ipsam fuisse matricem, res in dubio hæret.

§. 38.

Illam jam operationem adgredimur, quæ temporibus recentissimis proposita

u) Auserles. Abhandl. für pract. Aerzte, 24r B. S. 59.

tantam excitavit spem, fore nempe, ut gravissimum illud nimis frequens malum, scirrhus uteri, eadem ratione, qua cancrosæ affectiones mammarum et labiorum, cultri ope posset auferri et eradicari. Prima mentio hujus operationis facta est 1803. *v*) Indicat nempe paucis verbis cel. *Osiander*, se pluries partes scirrhosas et steatomata permagna uteri exstirpasse cum eventu fausto. Eodem anno *Cl. Struve x*) nonnullas ideas de exstirpatione matricis, ut fortasse unico remedio scirrhi uterini, publicabat. Ex ejus sententia primum prolapsus uteri, si non adsit, ope artis producendus est. Huic scopo proponit primum per injectiones emollientes et semicupia partes genitales relaxare: deinde per proprium ab eo inventum instrumentum, quod in libro s. a. delineatum est, per os uteri inductum, sensim sensimque uterum, quantum fieri possit, deorsum trahere; hoc peracto

v) cfr. Reichsanzeiger, 1803, No. 300, S. 3926.

x) Journal der. pr. Heilk. v. Hufeland, Vol. 16. S. 123.

suadet cultro curvo portionem vaginalem abscindere, deinde uterum attrahere, et prorsus a suo nexu cum partibus vicinis solvere. Contra celebr. *Osiander*, sibi honorem inventoris hujus methodi operationis vindicans *y*), Ao. 1808 Societati scientiarum Göttingensi ulteriores suas ideas de hoc novo artis auxilio communicabat. Sequentem methodum commendat: ægrota primum rite collocata et sustentata, genitalia injectione detergente purificanda et unguentis sunt emolliendo. Excrescentiæ fungosæ si adsint, vel digitis vel proprio instrumento exstirpatorio evellantur: hæmorrhagia, sub hoc opere interdum gravis, sistenda est aceto et pulvere styptico ope spongiæ in vaginam immisso. His peractis, jam in id operam impendit, ut matrix, quantum fieri potest, deorsum trahatur, quod eo artificio perficit, ut ope acuum parvorum curvatorum, filum quadruplex ceratum trahentium, uteri portionem vaginalem

y) In Göttinger gelehrte Anzeigen No. 1808, 130 St. S. 1289.

perfodiat, et hoc filo, acubus eductis, remanente uterum figat et detrahat: jam fortiori cultro antrorsum rotundato partes corruptas et scirrhosas exscindit, usque dum digito sentire possit superficiem vulneris glabram, firmam et elasticam, ut indicium, cultrum jam matricis portionem sanam attigisse. Si vero cervix uteri jamjam adeo sit destructa, ut acubus haud teneri possit, aliud auxilii genus in usum vocat: adjuvantem nempe jubet manu hypogastrio ægrotæ imposita fundum uteri deorsum premere: ipse manu sinistra vel forcipe fortiori cervicem uteri prehendit attrahitque, et tum forfice ad latus curvata, vel propriis ab eo excogitatis instrumentis partes corruptas aufert. Hæmorrhagia inseqvens cohibetur aceto et pulvere styptico ex aluminis, gummi arabici et colophonii partibus anaticis composito, ope spongiæ in vaginam inducto. Suppurationem inseqventem promovet unguento ex melle, extracto cort. virid. nuc. juglandis, et Hydrargyrio oxydato rubro: interne corticem et alia roborantia administrat. —

Operationem asserit haud dolorificam, et sanationem intra paucas hebdomadas inseqvi, quamvis interdum reiteratio operationis sit necessaria, quin se novem mulieres hocce artificio a morte imminente liberasse gloriatur. Serius *z*) ut documentum felicis successus operationis addit, se forcipis ope a puella sana et vegeta liberasse puerperam, cui ante plures annos partem scirrhosam uteri exstirpaverat. Instrumenta, quibus utitur, non describit; quatenus nobis ab amicissimo *Withusen*, Prof. Chirurgiæ, qui semel Osiandrum vidit hanc perficere operationem, tradita sunt, tria ad exstirpationem adhibet instrumenta, a) forficem nempe magnam curvatam; b) instrumentum ad vectis modum formatum, antrorsum acutum, et c) instrumentum referens brachium forcipis Lecretianæ fenestra rotunda perforatum, cujus margo internus scindens est.

§. 39.

Quantam attentionem excitaverit hoc cl. viri inventum, inter alia exinde

z) Gött. gelehr. Anz. 1817.

patet, quod Academia Imper. Joseph. Wiennensis et Facultas medica Univers. Hafniensis hocce argumentum dignum judicaverint, quod publico certamini sub præmio exponeretur.

Nihilominus tamen ardua hæc operatio paucos tantummodo nacta est sectatores: unicum exemplum, quod nobis innotuit, exhibet cl. *Rust a*), qui nempe se refert semel exstirpationem instituisse uteri scirrhosi, sed jacturam sangvinis tam enormem exinde sequi observavit, ut ægrota celerrimo passu ad mortem festinaret. Cel. *Wenzel b*) Osiandri methodum oppugnans, scopum non attingi credit, nisi totus uterus tantum detrahi posset, ut fundus extra vulvam pendeat, supra quem adeo ligaturam applicare liceat.

§. 40.

Aliam methodum magis adhuc temerariam scirrhosum uterum exstirpandi pro-

a) Ueberſicht der Ereigniße im Wiener Krankenhauſe.

b) Ueber die Krankheiten des Uterus, S. 169.

posuit Cl. *Maximilian. Joseph. Gutberlet* c). De successu operationis ad methodum Osiandri institutæ desperans eam ob causam, quia situs organi affecti liberam instrumentorum applicationem prohibeat, et adeo nonnisi portiuncula uteri inferior auferri possit, suadet sectionem abdominis (recentiorum laparotomiam) instituere, et per hunc hiatum totam eradicare matricem. Hæc sperat facili negotio perfici, si per instrumentum a se inventum et delineatum (specillum nempe fortius ad axin pelvis incurvatum, cui superne annulus ejus diametri ut segmentum inferius matricis amplecti possit, horizontalis 3 brachiis est affixus) per vaginam insertum, cervicem uteri comprehendat, et matricem sursum premat, quo magis tendantur ejus ligamenta. Partibus continentibus abdominis tunc eodem modo divisis, quo sectio cæsarea instituitur, adjuvantem jubet manu in cavum abdominis introducta arterias ili-

c) Siebold Journal für Geburtshülfe, Frankf. 1814, 1r B. 2s Stück, S. 228.

acas comprimere: ipse uterum artificio supra allato, superiora versus protrusum jam cultro a partibus vicinis separat, et deinde ligatura vasorum transcissorum hæmorrhagiæ insequenti prospicit. Fila ligantia tunc per vaginam curat propendere: hunc canalem linteo carpto stypticis remediis munito obturat, et vulnus abdominis demum Gastroraphia claudit. Inflammationem seqventem efficacissime præpedire sperat, si semicupium, nonnullis horis post operationem elapsis, in auxilium vocetur.

§. 41.

Agmen observationum hoc argumentum spectantium claudant illa a cl. *Winzmann d)* in lucem edita. In femina, quæ pessarium ob prolapsum vaginæ portaverat, illud autem semel imprudenter neglexerat, subito ex vulva prorumpebat tumor duorum pugnorum magnitudinis, cordiformis, lividus, parum elasticus, et superficiei inæqualis, quam arctissime labiis magnis appressus. Pars superior

d) Siebolds Journ. für Geb. Hülfe, 1r B. 2s St.

tumoris fasciam constringentem quasi referebat. Valde dubii medici de natura hujus tumoris, *nullo orificio inferne perforati*, illum sibi ipsi relinqvebant, donec gangræna accedens eos ad exstirpationem determinaret. Circulari adeo incisione superior pars fasciæformis tumoris transcindebatur, et quidem initio absque dolore: sed incisione profundius penetrante, dolor acerbissimus exsurgebat, et intra horam ægrota moriebatur. Corporis abscissi exploratio demonstrabat, tumorem a vagina scirrhosa formatum fuisse, et uteri delapsi segmentum inferius superne in cavo tumoris positum, eique adhærens, simul sectione amputatum. Quod hic maxime notandum, erat plena absentia orificii vaginæ, adeo ut specillum per orificium uteri abscissi in cavum tumoris quidem deorsum duci posset usque ad mediam hujus sacci partem; sed nullus reperiretur exitus.

---

§. 42.

Si respicimus, quæ tot et tanti autores docuerunt, non possumus, quin grati hic quoque agnoscamus, quantos progressus fecerit ars medica juvantibus veterum observationibus et experimentis, nec non ratiociniis, quamvis haud raro erroneis. Successus ille stupendus, quem ex relatione Ætii, Æginetæ et plurium, *e*) abscissio uteri habuit, cuique innitentes iidem (quid, quod medici populares eos temere sequentes) operationem ceu facilem et sine metu instituendam commendant, ut nimis faustus, ex mea saltem sententia, sufficit ad movendum dubium, utrum ipsum revera uterum amputaverint, an tantummodo excrescentias extra pudenda propendentes abstulerint. Quod huic dubio adhuc majus pondus addit, omnino est experientia repetita, mulieres ope artis ab ejusmodi tumoribus liberatas postea non menstruum solum fluxum et concipiendi facultatem servare, sed quo-

e) cfr. supra allata horum virorum effata.

que infantes sanos edere potuisse. *f*) Minoris momenti est, ad quamnam hypothesin isti venerandæ antiquitatis viri sibi explicarint, functiones uteri hoc licet ablato posse remanere; sat habeo monere, illos utpote ad polypos uterinos parum attentos, facillime ab ejusmodi tumore subito prorumpente in errorem inductos esse, quod uterus ipse prolapsus esset. Polypus e fundo uteri prognatus, eam molem nactus, ut orificium matricis perrumpat, dein sive lente sive subito in vaginam et extra ejus isthmum descendit, ut plurimum comitatus nisu depressorio, dolores parturientium æmulante *g*) et cum præterea polypus ob strangulationem, quam patitur ab orificio uteri, cito increscit, mole sua adaucta et superficie cruenta adeo uterum mentitur, ut imperitos et minus cautos facile decipere queat. Quod inprimis hos viros

f) cfr. supra allata a *Carpo*, *Benivenio*, *du Laurent*, *Sylvio*, *Wierio*, *Zacuto Lusitano*, *F. Platero* commemorata.

g) cfr. *Callisenii* nostri system. Chirurgiæ hod. Vol. II. §. 270.

turbavit, fuit subita illa corporis tam voluminosi adparitio, de cujus præsentia in cavo uteri ne somniaverant quidem, cum nimirum haud facile intelligeretur, unde illud, nisi ipse uterus esset, tam cito exstitisset. Ex *C. Celsi h*) verbis patet, quantam olim admirationem excitaverit uteri procidentia: "Cum," inquit, "ætate nostra quædam ex naturalibus partibus carne prolapsa et arente intra paucas horas expiraverit, sic ut nobilissimi medici neque genus mali neque remedium invenerint." Ex *Bartholini* nostri laudata observatione *i*) liqvet, chirurgos postea interdum temere judicasse de uteri prolapsu vel inversione, unico illi argumento innixos, "quod excrescentia tam subitum ortum et incrementum habere non possit." Nec nostro ævo, ut dicam, quod res est, Semiologia chirurgica adeo certa et definita, ut nullus detur casus, qui, cunctis licet signis et symptomatibus adtente

h) Præfatio ad libr. de medicina, pag. 14.
i) Centur. 2da Histor. 58. cfr. pag. diss. 42.

consideratis, de præsentis morbi natura fallax judicium non relinqvat. Valet hoc imprimis de signis, quibus uteri inversio et ejus polypus a se invicem sint disjungenda, præsertim si, quod mihi pluries observare contigit, polypus tam crassus sit, ut vaginam penitus oppleat, et adeo sollicitam explorationem partium internarum haud admittat. Tanto itaque minus veteribus vitio verti potest, si eos hujusmodi morborum diagnosi aliquando deceptos inveniamus; imo in dubia hac morborum dijudicatione ratio quærenda, cur *tam* veteres, ut ex allatis patet, uteri inversionem interdum adesse crediderint, ubi experientia docuit a polypo tumorem esse formatum, *quam* itidem recentiores, ut plures observationes docent, in oppositum errorem inciderint, dum nempe, opinantes se polypum uterinum abscidisse, post operationem repererunt, se ipsum uterum exstirpasse *k)*.

k) cfr. supra allatas observationes virorum clarissimorum *Sleevogt*, *Müller* et *Clarke*.

§. 43.

Ulterius ponderando veterum hac de re effata, reperimus, eos operationem suadere, si pars prolapsa, ut dicunt, computruerit, vel sphacelo fuerit affecta *l*). Sine dubio ideo hæc operatio, ut tot aliæ, primum a dura necessitate fuit inducta. Polypus nempe magnus, propendens, si haud tempestive auferatur, haud secus ac uterus inversus, qui non reponi potest, facillime eum in gradum mortificatur, ut gangrænam et sphacelum subeat. Quid porro obstat, quo minus statuamus, veteres, si uterus prolapsus scirrhosus vel cancrosus evaderet, hujus visceris partes adfectas interdum audacter excidisse? Bene adeo de scientia meriti sunt isti viri, qui, accedente horrendo hoc symptomate (gangræna nempe), sive primarius morbus fuerit polypus sive uteri inversio, imo in carcinomate æque terribili, manum admovere haud reformidantes, et, ambiguum licet,

l) cfr. supra allatos *Ætium*, *P. Æginetam*, *Avenzoar*, *Matthæum de gradibus*, *Nicol. Florentinum*, *Sylvium* et plures.

remedium adhibentes, ægrotas ex orci faucibus aliquando eripuerunt, adeoque felici operationis successu evicerunt, quantum ars in affectu tam desperato valeat.

§. 44.

Num observatio *Fernelii m)* huc spectet, incertum: eximius enim hic autor, quod dolendum, casum istum tam mirificum atque horrendum obiter tantummodo attigit. Æque dubiæ sunt observationes a plurimis ejus ævi autoribus adductæ, quarum vix ulla plene et perfecte persvadet, ipsam matricem arte ablatam fuisse. Licet vero observationes allatæ dubium relinquant, num uterus ipse ab ipsarum autoribus unquam vere exstirpatus sit, nemo tamen inficias ibit, observata fide digna exstare, e quibus manifestum fiat, ipsius uteri exstirpationem jam olim vere institutam fuisse. In hujus rei documentum provoco ad testimonia clarissimi *Paræi n)* et *Roussetti o)*, quorum

m) vid. pag. 26.
n) vid. pag. 27.
o) vid. pag. 33.

posterior præcipue solidam de uteri inversione cognitionem prodit. Horum virorum observationes, quæ sequente cadaverum obductione rem illustrant, omne dubium tollunt, quin ipse uterus fuerit ablatus. Observationes *Mauricii p)* et *Meichsneri q)* de matrice mox post partum inversa et amputata tam accurate sunt expositæ, ut omnem fidem mereantur.

§. 45.

Recentiorum *r)* denique fidæ et castæ observationes nullum dubium relinqvere videntur, quin matrix *tota* per encheiresin artis possit auferri, salva muliere. *Osiandri* clarissimi experientia, ut opinor, spem porro excitat, fore ut sub faustis circumstantiis itidem *partialis* ejusdem organi excisio cum eventu felici a manu bene exercita institui queat.

p) vid. pag. 29.

q) vid. pag. 30.

r) *Sleevogt*, *Dietrichs*, *Favre*, *Figuier*, *l'Aumonier*, *Dessault*, *Hunter*, *Wrisberg*, de quorum experientiis jam supra commemoratum est in operationis historia.

§. 46.

Quamvis ex allatis patet, operationem minime impossibilem esse, sed eam sæpius, quin rebus certe haud faventibus, cum successu perpetratam fuisse, attamen perpauci autorum celebrium eam verbis attingunt, et qui eam non prorsus damnunt, quam cautissimi commendant, idque tantummode ad *Celsi* effatum: "satius est anceps auxilium experiri, quam nullum." Ut taceam acerba judicia, quæ de illa fecerunt *Bartholinus* s), *Ruysch* t), *Roonhuysen* u), *Kerkring* v), *Meekeren* x), et plures, hic v. c. adducam quorundam aliorum clarissimorum virorum hac de re effata. *Barbette* y), et *C. Bell* z), operationem

s) cfr. pag. 49.

t) cfr. pag. 56.

u) cfr. pag. 42.

v) cfr. pag. 43.

x) cfr. pag. 46.

y) "Uterum sine vitæ periculo posse exscindi, quemadmodum multi scribere ausi fuerunt, perito anatomico intolerabile censetur." (Chirurg. Libr. I. Cap. 8)

z) "Die Unterbindung des Uteri zieht den unfehlbaren Tod des Kranken nach sich." System der Chirurgie, übers. v. Kosmely, Vol. 2, S. 139.

haud absque interitu mulieris perfici posse autumant. *Dionis a)*, *Platner b)* *Salzmann c)*, et *Regnerus de Graaf d)* illam tanquam periculosissimam, vix unquam instituendam credunt. Neque *Callisenius* noster inclytissimus *e)* illam commendat, sed potius ut ancipitem dis-

a) "Pour moi, je croirois l'exstirpation de la matrice mortelle, jusqu'a ce que j'en sois desabusé par quelques experiences." Cours d'operations p. 265.

b) "Es ist nicht glaublich, daß, wie einige haben vorgeben wollen, ein umgekehrter und verhärteter Uterus hat können abgeschnitten, und die Patientinn erhalten werden." Chirurg. pag. 299.

c) "Pertinet potius hæc operatio, quemadmodum illa lienis et partus cæsarei ad classem istarum, de quibus in Theoría ultro citroque facile disputatur, ubi vero ad rem et praxin devenitur, plerumque præstat το απεχειν, siquidem tanta vasorum copia hoc viscus perreptet, ut ejus abscissio si non lethalis, tamen periculosissima sit." Dissert. de uteri morbis.

d) "Ablatio uteri ob vasorum perreptantium numerum periculosissima est." De organis mulierum generationi inservientibus, Lugd. 1672.

e) "Ancipiti operationi therapia gangrænæ et virium naturæ sustentatio omnino præferenda videtur." Systema chirurg. hod. Vol. II. pag. 530.

svadet. Nec quæ de eadem *Sabatier f)*, ad eam instituendam valde incitant. *Junckerus g)* regulas, ad quas perfici possit, brevi commemorat, adjecto judicio, quod ab ea potius revocet. *Astruc h)* et

f) "Der Erfolg dieser Operation ist keineswegs glücklich ausgefallen Die meisten Frauen sind daran gestorben. Es ist indeß gar wohl möglich, daß sie bei einigen gelingt." Lehrbuch für Wundärzte, übersezt v. Borges, Berlin 1791, 1r Theil, S. 327.

g) "Quando autem corruptio gangrænoidea in sphacelum ruens, jam præsto est, nullum aliud remedium, quam exstirpatio, locum habet: quæ licet valde anceps sit, felici tamen successu institutam esse, Autores quidam testantur. Sequentia autem de illa administranda monent: 1) ut excisio ita fiat, ne pars quædam corrupta restitet. 2) Ut ligaturæ debito modo fiant et constringantur. 3) Coronidis loco canterium actuale imponunt. Sed quis non videt difficultates et pericula, quæ hanc operationem circumdant." Conspect. chirurgiæ, Tab. XXVII. pag. 178.

h) L'exstirpation peut avoir lieu dans la gangrène, qui arrive a la matrice descendue en dehors, lorsque le mal est fort etendu ou fort profond." — "On l'a même quelquefois employée avec succès (?) pour de simples descentes de la matrice" — *Mais l'exstirpation est absolûment impracticable, lorsque la matrice est en place"* (Pag. 106). — "On est forcè d'avoir recours à l'operation, lorsque la matrice devient squirrheuse, et que le squirrhe de-

Richter i) licet eam maxime arduam censeant, tamen casus occurrere concedunt, qui ejus applicationem suadeant.

§. 47.

In tali itaque dissensu autorum præstantissimorum parum inter artis peritos convenit, quid de uteri amputatione ceu operatione gravissima judicandum sit. Multum igitur nostra interest, ut hoc argumentum adcuratiori disqvisitioni subjiciatur, quo demum, si modo fieri pos-

genère en cancer; comme cette operation est trés dangereuse, et qu'ordinairement elle reussit mal, on ne doit jamais la pratiquer, que dans des cas desesperès (in evidenti mortis periculo)" (p. 408.) — "Il suffit que l'operation ait reussi quelquefois, pour qu'on doive la tenter dans un cas desespère." Traitè des maladies des femmes, Vol. 3tum, pag. 422.

i) Vir clarissimus operationem ad duos casus limitat, 1) quando pars inversa jam per sphacelum adeo sit corrupta, ut sponte secedat, et ulcus malignum relinqvat, magnum foetidumque, lenta suppuratione vitæ insidias struens; 2) quando mora temporis uterus inversus vere scirrhosus evadat (Anfangsgründe der Wundarzn. Vol. VII. pag. 41). Nec uteri prolapsum operationem excludere, si scirrhus adsit, autumat. (pag. 14.)

sit, ad persuasionem usque evincatur, an ea in systematibus chirurgicis tanquam artis remedium, suasu dignum, locum mereatur: et si hoc ita sit, sub quibusnam conditionibus, duce ratione et experientia, rite sit indicata, nec non ad quas cautelas et regulas artis fieri debeat. Quænam enim summa in casu oblato expectari possit ex consultatione virorum experientissimorum circa quæstionem, num nostra operatio institui oporteat necne, quamdiu rationes, e quibus responsum justum et debitum eliciendum sit, nondum satis enucleatæ fuerint? Celsi effatum est: " cujus rei non est certa notitia, ejusdem opinio certum reperire remedium non potest." Imo quamdiu judicium de operationis pretio ejusque indicationibus et de cautelis, quas exigit, vacillat, verendum omnino est, ne vel artis principes ex præoccupata vulgi opinione uteri exscissionem, licet ut ultimum remedium rationibus indicatam, moesti omittant, ne quam fortasse servare potuissent, arte, si exitus infau-

stus, occidisse videantur *k*); atqui e contrario metuendum, ne minus in arte edocti et experti gravissimam eandem operationem, ubi ne quidem indicata sit, aliqvando audacter et temere instituant in ægrotarum perniciem *l*) et ad *Archagati m*) exemplum, in artis opprobrium.

k) Sic experientissimus *Horn* refert se observasse in femina Judæa uterum sensim prorsus inversum et scirrhosum, quem ipsa ægra sibi per operationem auferri avide flagitabat: vir autem optimus ingenue fatetur, se hoc auxilium adhibere non ausum fuisse, non solum quia plurimi autores tale inceptum nimis ominosum judicant, sed quoque qui a calumniam metuebat. (Schmuckers verm. chirurg. Schriften, 2r B. S. 143.)

l) Plura exempla supra in operationis historia relata, v. c. a *Ruyschio, de Heer, Blasio, Peyero*, et pl., abunde docent, quam inconsiderate olim medicastri imprudentes et gravitatem difficultatemque operationis haud ponderantes illam aggressi sint.

m) "*Archagatus*, primus omnium Græcorum Romæ advenit, ut quæstum in medicina faceret, ubi jure civitatis donatus officinam in Compito Acilio a senatu impetravit. Ille idem, brevi post, quod in ægrotos secando et urendo sæviit, tanquam carnifex in odium incurrens, tam artem quam Græcos maximæ contumeliæ exposuit." (cfr. Anniversaria in mem. Reip. sacræ et litter. conscripta a *J. D. Herholdt*, Hafniæ, Ao. 1812.)

Hæ rationes sunt, quibus ad vires in gravi hoc argumento tentandas impulsus sum. Pluries enim ipse inter officia mea publica anxius hæsitavi, an salva conscientia, dissensu peritiorum artis monitus, ægrotas meas fato et sorti traderem iniquissimæ, si status earum miserrimus vel minimam salutis spem ex uteri ablatione relinqveret. Hoc opus nunc adgredi animus est: utinam ne vires eidem impares sint!

Caput II^dum

De morbis in genere, sub quibus operatio est indicata.

§. 48.

Si, quantum in nobis est, ponderamus, quæ experientia hoc de nostro argumento docuit, haud absonum videtur paucis exponere varios affectus a norma sanitatis deviantes, in quibus medicum cordatum et intrepidum ad hanc opera-

tionem ceu ultimum remedium confugere liceat: deinde illas enucleare difficultates, quibus arduum hoc auxilium etiam tum premitur, cum dexterrime peractum miserandis ægrotis salutis spem promittit.

§. 49.

Morbi matricis, in quibus hujus organi exstirpatio commendata fuit, quantum ego video, ad duplicem classem referendi sunt: harum

1ma comprehendit varias uteri deviationes a situ naturali, ejus nempe inversionem et prolapsum.

2da includit vitia in uteri structura, ceu metamorphosin illius fabricæ scirrhosam vel carcinomatosam,

ad quas sigillatim pertractandas me jam accingo.

§. 50.

Dum uterus, quod haud adeo raro accidit *n*), mox post partum totus inver-

n) Clarissimus *Ruysch* illum casum sibi bis una die obvenisse commemorat. (Advers. anatom. Decas 2da, pag. 37.) Cfr. observationes inclytiss. nostri *M. Saxtorph* (act. Havn. Vol. 3tio, pag. 398.) et filii haud minori jure celebrati *S. Saxtorph* eod.

titur, ægrota, nisi ei cito opituleris, in summo discrimine vitæ versatur. Quamvis enim hic adfectus haud semper gravioribus symptomatibus se confestim prodat, sed attenta exploratio sola eam detegere valeat, quolibet tamen temporis momento augetur periculum, ne organon inversum in situm naturalem reduci qveat. Exempla de completa uteri inversione sine ullo fere symptomate molesto mox subseqvente haud desunt: imo observata docuerunt, uterum aliquando inscia puerpera inversum et repositum fuisse sine omni sequela o). Sæpissime tamen sensu insolito, ex uteri inversione orto, ægra perterrita symptomatibus nervosis afficitur et angitur. His plerumque mox accedunt dolores et nisus graviores, non raro sangvinis profusione comitati, eaque tanta, ut vires subito

op. Vol. IVto, pag. 559.) Altera ex parte mirum, quam raro aliis medentibus occurrerit. *Morgagni* v. casu illam tantummodo semel observasse fatetur. (Epist. 45 Artic. 6.

o) Celeb. *Herholdt*, vir amicissimus, mihi 2 ejusmodi exempla, quæ illi obvenerunt, retulit.

frangantur, pulsus exilis evadat, et facies hippocratica, sudor frigidus, convulsiones aut lipothymia mortem adpropinqvantem præsagiant. Ex hac diversa symptomatum facie liqvet, quantum rei publicæ intersit, ut obstetrices de signis inversionis uteri quam solertissime instructæ sint, artemque eam reponendi bene didicerint. Sapienter adeo doctores obstetricibus regulam illam sanctam et nunquam negligendam præcipiunt, ut post quemlibet partum, etiam maxime naturalem, tam vaginam quam abdomen summa cura explorent, quo sibi persvadeant, matricem secundinas haud secutam fuisse. His regulis religiose observatis jure adscribimus, nostro ævo multo, quam antea, rariora exempla occurrere tam de utero inverso, quam ubi nullo modo reponi possit. Cum tamen cujuscunque fere civitatis ratio sit, ut plurimarum parturientium sors mulierum manibus tradatur, neque harum omnes ad dogmata artis percipienda et ediscenda æque aptæ sint, nec omnes sive præcepta iis

tradita memoria semper retineant, sive ad ea exsequenda semper idoneæ maneant: cumque interdum etiam gravidæ, nulla obstetrice præsente, subito partum edant, fieri non potest, quin etiam in civitate, ubi omnis cura sanitati publicæ tuendæ intendatur, aliquando tamen tristia exempla de utero inverso, hujusve neglecta repositione occurrant. Vix tamen verendum est, ne unquam nostro ævo, quo Politia medica tantopere viget, inscitia et imperitia accidat, quod olim nimis, proh dolor, freqventer observatum, ut obstetrices uterum nuper inversum et cruentum pro mola vel excrescentia carnea ipsi organo adnata habeant, eumque manibus avellere *p*) quin cultro præscindere *q*) temere moliantur. Regulas, ad quas uterus inversus reponendus est, quippe extra limites argumenti mei positas, intactas relinquo: uterum vero inversum, cujus repositio fausto

p) vide Observationem imm. *Bartholini*, Cent. 2dam, Historiam 91.

q) cfr. Observationem *Wrisbergii* supra allatam. pag. 64.

temporis momento neglecta est, maxime refert, ut ulterius perseqvamur.

§. 51.

Uterus si a partu inversus, sibi relictus, non reponitur, triplex morbi exitus observatus est:

1) aut enim hæmorrhagia et affectiones nervosæ tanta vi exsurgunt, ut vitam brevi exstingvant. *r)*

2) aut, si symptomata ab initio minus gravia sunt, oritur inflammatio partis elapsæ in gangrænam et sphacelum prona. *s)*

3) aut deniqve, si nec sangvinis jactura nec inflammatio et seqvens gangræna accedant, interdum contingit, ut natura uteri inversioni velut adsuefiat, eaque habitualis evadat, nul-

r) Celsus jamjam de ejusmodi subita exstinctione loqvitur (v. supra pag. 83). Incl. *Callisen* mortem nisi citum afferatur auxilium, intra quatuor horas vel dies sæpissime supervenire docet. (Syst. Chir. Vol. 2do, §. 803.)

s) Plurima ejusmodi exempla in fastis medicorum reperiuntur, et in unoquoque systemate chirurgiæ ut seqvelæ freqventissimæ inversionis uteri exhibentur.

loque acuto symptomate vitam amplius minante stipetur. *t)*

§. 52.

Varia hæc morbi nostri facies ab universa puerperæ constitutione derivanda est, maxime tamen inde, quod orificium uteri irritabilitate sua sive contractilitate organica, in quolibet individuo peculiari, magis minusve se contrahat, partesque inverso utero inclusas haud in omni casu æque fortiter comprimat. In utero, a foetu nuper liberato, dum situs ejus in abdomine naturalis est, nulla ex naturæ instituto symptomata morbosa a contractione orificii oriuntur, quia vasa et nervi, quæ ipsum organon adeunt, utpote in externa ejus superficie posita, nullæ exinde compressioni sunt

t) *Levret* semel observavit inversionem uteri, quæ jam per 5 annos duraverat, ubi orificium tam relaxatum erat, ut fundus inversus facili negotio reduci posset, sed mox post repositionem iterum procideret. — *Sabatier* duas mulieres vidit per plures annos vera inversione uteri afflictas, sed exinde non majora incommoda sentientes, quam ut ipsæ rebus domesticis absque nimia molestia vacare possent. (Vol. I, pag. 32)

obnoxia: secus vero si uterus inversus. Eadem enim ejus vasa et nervi, imo alii simul ejus adpendices, nunc in præternaturali ejus cavo inclusa, jam, dum orificium uteri se contrahit, omnia ab eodem comprimantur, necesse. Ex valida ejusmodi compressione symptomata nervosa, et quatenus cuncta matricis vasa tam arteriosa quam venosa comprimuntur, gangrænæ ortum explicari posse existimo: eandem constrictionem minori vi prementem, ita ut modo sangvinis reditus, qui a venarum functione pendet, inhibeatur, hæmorrhagiæ ansam dare censeo: sub parcissima demum orificii strictura, quæ contenta minus molestat, adeo ut humorum quidem circuitum perturbet, eum haud tamen prorsus cohibeat, vitam persistere et inversionem chronicam seu habitualem evadere posse opinor.

§. 53.

Signa pathognomica, e quibus triplex ille exitus morbi nostri elici debet, proh dolor, ut equidem censeo, haud in quolibet casu certum ac finitum præsagium nobis exhibere valent. Sub in-

faustis enim auspiciis vi naturæ medicatrice aliquando gravissima symptomata, quin ipsam gangrænam minitantem, superata fuisse, observationes fide dignæ docuerunt *u*): contra, ubi inversionem chronicam fieri ex indiciis sperare ausi sunt artis periti, acuta nihilo secius præter opinionem subvenerunt symptomata, immoderatus nempe fluxus sangvinolentus, qui haud prævisus ægrotæ vires subito exhausit *v*), aut organum elapsum, fortuito graviter irritatum, ab inflammatione aut gangræna correptum fuit, aut demum in tumorem cancrosum degeneravit *x*), qui affectus mortem sive subitam sive lentam induxit. Nunquam igitur exitus nostri morbi sibi relicti certo satis prædici potest, sed ad eum determinandum, ut Celsi verbis utar, tempore et experimento opus est.

u) cfr. Richters Wundarzneikunde, Vol. VII. pag. 45. et *Rousset* (l. s. c.)

v) v. Edingh. Versuche, IV B. S. 33.

x) Inter plura hujus eventus exempla hic tantummodo recitem experientiam, quam Cl. *Horn* (Schmuckers verm. Schriften, 2r B. S. 144.) se fecisse refert.

§ 54.

Vacillant itaque rationes, quibus indicationes pro uteri amputatione instituenda superstrui debent; ponamus v. c. uterum ante diem elapsum, cujus orificium ita jam sit constrictum, ut fundus per id retrudi amplius neqveat — ponamus, nulla graviora symptomata nervosa, nullamque sangvinis enormem profusionem adesse, sed ægram doloribus tolerabilibus abdominis, e tensione partium tantummodo obortis, et leniori febri affectam cum modica hæmorrhagia, quid tali in casu, omnibus rite perpensis, judicet artis peritus, qualemve medendi methodum eliget? Num incertus is, an aliquot diebus post sphacelus accedat, miseramque occidat, quieto animo unicum, quod superest, remedium, organi nempe inversi ablationem, ulterius differat, an eam, vel eventu dubio, cordate adhibeat? Quid si sub allato statu morboso nulla quidem gangræna accedens, serius tamen, dum inversio jam chronica evaserit, aut continuus humorum fluxus et indefessa genitalium irritatio ægrotæ vi-

res sensim frangat, febremque lentam et mortem inducat, aut ipsum organon elapsum in carcinoma abeat, quid, inquam, sub tam infelici morbi progressu judicet medicus, ne dicam, sentiat, qui operationem haud tempestive adhibuit? quid demum, si post temporis spatium matricis inversio chronica nullo fluxu debilitante, nullaque irritatione molesta sit comitata, quidni hunc morbum medicus incurabilem pronuntiet, talemque ægrotam fato suo tolerabili relinqvat potius quam operationem, discriminis plenam et eventu incertam, ultra necessitatem instituat? Arduum sane, quid in quolibet casu eligendum seu præferendum!

Caput III[tium].

sistens

Specialiora momenta quæ exstirpationem uteri inversi suadent.

§. 55.

His generatim præmissis, specialiora, quæ ad indicationes nostræ operationis determinandas pertinent, in diversas classes redigere conabimur, ut, quantum in nobis est, palam fiat, quid sub quolibet casu ratio svadeat, et quid experientia doceat.

§. 56.

1. Eo in casu, ubi uterus mox a partu inversus haud reduci queat, et nulla violenta symptomata adsint, quæ mortem instantem indicant, spes saltem remanet, fore ut sine vitæ dispendio iste status tolerabilis per aliquod tempus ferri possit, quin demum in inversionem, quam diximus chronicam, abire. Ast si quoque ad incertitudinem eorum, quæ sub temporis cursu accidere possunt, haud respicimus, sed statum ægrotæ quam fe-

licissimo aspectu intueamur, negari tamen non potest, quod experientia repetita docuit *y)*, vitam ægrotæ, si etiam res haud in deterius vergat, tamen miserandam esse, quatenus ea nempe quotidianis molestiis vexata ad negotia domestica minus apta et ad officia conjugalia peragenda prorsus inepta sit. Observationes supra allatæ a *Meichsnero z)*, *Favre a)*, et *Wrisbergio b)* docent, operationem sub hoc morbi statu pluries felici cum eventu patratam fuisse: altera verō ex parte *Hildani c) Bartholini d)* et plurium observata illam lethalem interdum fuisse evincunt. Medicus itaque generatim in tanto discrimine nullam artis regulam ut certam et stabilitam figere

y) "Einige überleben den Zufall unter öftern Blutflüßen, welche sich mit einer Bleichsucht, und einer höchst lästigen Empfindung von Unbehaglichkeit und Schwere endigen." Sabatier Handbuch der Chir. Oper., Vol. 1, pag. 327.

z) vide pag. 30.

a) vide pag. 69.

b) vide pag. 63.

c) vide pag. 36.

d) vide pag. 50.

potest: pendent enim quæ tali in casu suscipienda sunt, a pretio quod ipsa ægra vitæ suæ sub statu tam molesto ac tædioso tribuit. Certe saltem, si mulier, ut operatio instituatur, ipsa a medico efflagitet, neutiquam eam celanda sunt pericula, quæ huic artis auxilio vel necessario juncta sunt, vel fortuito accedere possunt. Regulam, quam in ejusmodi rerum statu medicus seqvi debet, hisce, ut opinor, verbis Celsus optime exponit: "Ubi gravis metus, sine certa tamen desperatione, est, medicus prudens necessariis periclitantis indicare debet, in difficili rem esse, ne, si victa malo ars fuerit, vel ignorasse vel fefellisse videatur."

§. 57.

2. Si uteri inversio, tentamina reductionis frustrans, aut violentis symptomatibus nervosis, aut periculosa sangvinis profusione juncta est, ægrotam morti proximam esse, manifestum est. Neque enim primaria morbi causa, uteri nimirum inversio, ullo artis adminiculo tolli potest: nec remediis, quæ his ad-

fectibus alias opponuntur, sub tanto discrimine rerum diu fidendum: quare præter uteri ablationem nullum hic auxilium est relictum. Quid itaque medicum arti suæ fidentem ab unico hoc remedio jure detineat? Num symptomata nervosa? An Hæmorrhagia? Dubius quidem generatim operationis eventus: minus quoque indicata videtur, cum symptomata nervosa, scilicet convulsiones, lipothymia, similiaque, adsunt: at quid tamen vetat, quo minus unicum, quod superest, remedium adhibeamus, ubi sine illo mors inevitabilis? Imo sæpius incertum, annon ista symptomata nervosa ex sangvinis enormi jactura ortum trahant: quidni igitur præstet sub utraque conditione saltem ligaturam collo uteri imponere, et hac nostræ operationis parte sangvinis profluvium inhibêre? Tanto minus ab hoc artis auxilio abhorreat medicus, quia semper in ejus potestate est vinculum injectum solvere et stricturam minuere, si convulsiones et reliqva symptomata post ligaturam adaucta illud exi-

gere videantur *e*). His accedit, quod ægra, etiamsi huic statui præter expectationem supervixerit, ejusdem tamen remedii necessitatem sive ob gangrænam forsan inseqventem, sive ob molestias ex inversione matricis diuturna surgentes, nondum effugit. Exempla felicis eventus, quæ nuper adtulimus, spem excitant, ut etiam sub hisce conditionibus nostra operatio ex optato institui queat *f*).

§. 58.

3. Si vero etiam ægra mortem ex primis illis inversionis stadiis effugerit, at gravis inflammatio accesserit, quæ uteri *gangrænam* et sphacelum minitatur, tunc æque ardua quæstio nascitur, quid de operatione nostra existimandum sit. Morbus sub hoc rerum statu sibi relictus aut, quatenus is vires ægrotæ exhaurit, teste experientia multiplici certam mor-

e) Sic experientiss. *Clarke* adgnoscit se dira convulsionum facie perterritum ligaturam applicatam in hoc casu haud servare ausum fuisse, sed filum dissecasse, et nonnullo demum tempore elapso iterum tumorem ligasse cum fausto eventu. (vide pag. 72).

f) vide pag. 106.

tem infert, aut si vires magis valeant, ob-pressionem et tensionem vasorum, ipsius organi mortificatione sive partiali sive universali finitur, ita ut ægræ sanatio magis minusve perfecta tum demum expectari liceat, cum omne, quod sphacelo corruptum se a vivo separaverit, et ulcus remanens coaluerit. Quantum igitur fortunæ committendum, quantæ molestiæ et quanta pericula superanda, si hic status inversionis soli naturæ relinqvitur? Neque ex arte, si medicus ab operatione alienus est, multum expectandum: roborantia nimirum, antiseptica et nervina, tam externe quam interne adhibita, licet encomiis passim decantata, parum ad affectus tam graves profligandos valent. Et tamen nimis temerarium esset, sub incipiente gangræna ad operationis administrationem confugere. Tam enim ligaturæ applicatio quam cultri effectus in organon tanti momenti, dum tam graviter inflammatum, maximis certe periculis premitur: quare sub lugubri hac conditione prudentia suadet, ut ægrotam intactam sorti suæ eousque relinqvamus

g), donec natura limites posuerit, ad quas partes demortuæ a vivis se separare nituntur. Ubi talis separatio feliciter contigerit, major vero pars uteri exulcerata remaneat, sic ut aut indefessæ molestiæ ex reliqviis metuendæ, aut consumtio ex larga suppuratione subsequente, aut carcinomatosa uteri suppurantis vitiatio verenda sit, tunc certe operatio nostra tanquam unicum remedium suadenda. Eam sub his quoque conditionibus felici cum eventu institutam fuisse, nec minus exemplis comprobatum invenimus *h)*. Nostrum hac de re judicium insuper confirmant, quæ de operatione docuerunt experient: *Richter i)*, *Astruc k)* aliique.

§. 59.

4. Feliciter si ægrota stadia illa supra adducta superaverit, uteri interna

g) Confer. *Callisenii* nostri incl. supra allata. vide pag. 84.

h) Huc certe spectant multæ illæ veterum supra in operationis historia allatæ observationes (de partibus matricis putridis evulsis et ablatis), præprimis *Paræi* et *Roussetti*, vide pag. 26 et 35.

i) vide pag. 85.

k) vide pag. 86.

superficies sensim contactui corporum ei obviorum, äeris, vestimentorum, urinæ adsuescit, simulque minus sensibilis evadit. Sub hoc statu uterus inversus, ob laxitatem ejus orificii peculiarem haud strangulatus, quamdiu is de coetero sanus, molestiam potius quam salutis discrimen creat, quare non ita necesse est, ut eum præscindamus. Si vero talis inversio diu durans temporis decursu complicata fiat, sive quod uteri volumen nimis auctum et ponderosum, ut tensione partium cum quibus cohæret, valde molestet — sive organon inversum ulceribus cacoethicis et cancrosis, latius serpentibus, afficiatur: — sive id per polypum ejus fundo adhærentem sensim vel repente prorsus invertatur, et foras protrahatur, sub variis his conditionibus ægrotæ ipsæ, licet nullo instante mortis periculo, haud raro a medicis deposcunt, ut organon iis permolestum, abscindant. Hisce precibus medicus, si alias nihil obstet, salva, ut opinor, conscientia obtemperare potest, cum observationes haud

paucæ *l)* evicerint, uteri exstirpationem in ejusmodi casu non minus feliciter peractam fuisse.

§. 60.

5. Quæ hactenus de utero inverso hujusque morbi varia facie exposui, nisi omnia me fallunt, matricis ablationem locum inter strenua artis remedia profecto mereri, satis probant. Altera, quæ huc spectat, quæstio, an scilicet eadem operatio cum aliqua successus spe institui possit eo in casu, ubi matrix non inversa sed prolapsa sit, et gangræna, cancro vel similibus magis minusve depravata, majoribus adhuc dubiis premitur, quam quæ circa uterum inversum jam consideravimus. Quamvis enim uteri prolapsus hac re ab inversione differt, quod ab illo morbo neque symptomata nervosa, neque hæmorrhagia adeo verenda sunt, neque gangræna ab orificii strictura hinc oritur, id tamen ambo hi

l) Cfr. observationem supra pag. 66. allatam dexterrimi *l'Aumonier*, nec non experientiam adhuc magis fausto eventu coronatam celbr. *Desault*, (vide pag. 70)

morbi, si carcinoma accedat, commune habent, ut non modo a tensione uteri adpendicum, et ab irritatione visceris prolapsi variæ molestiæ ægrotas excrucient, sed etiam sub carcinomatis progressu totum corporis habitum infestent, imo vitæ insidias struant. Itaque quod de 3tio et 4to inversionis stadio docui, id etiam de utero prolapso carcinomatoso valeret, nisi, quod ex seqventibus patebit, plura obstarent, quo minus hoc organon prolapsum totum cum eadem successus spe, quam dum idem inversum, exstirpari possit. Nostram operationem nihilominus hic commendatam invenimus a viris magni in arte nominis *m*), licet nulla, quantum equidem scio, exstet experientia, quæ evincat, eam feliciter institutam esse, contra infausto eventu eam tentatam fuisse ex aliorum observationibus *n*) certe constet. Inferius illustrare conabimur ea pericula, quibus operatio

m) V. c. *Richterus*, (Anf. gr. d. Wundarzneik. Vol. 7. pag. 14) nec non cel. *Carol. Wenzel* (über die Krankheiten des uterus pag.)

n) Confr. Observationes *Ruyschii* pag. 54. et *Peyeri* pag. 51.

in hoc casu, æque ac illa, quibus eadem in utero scirrhoso non prolapso, stipatur.

§. 61.

Licet rationes et experimenta hucusque allata probent, uteri ablationem sub certis conditionibus vere indicatam esse, cum tamen eadem ad ardua artis remedia merito referenda sit, ab alia adhuc parte eandem ut medicus, priusquam ad opus se accingat, consideret et ponderet quam maxime necesse est. Ubi nempe de ablatione organi tam gravis, tam arcte cum aliis visceribus connexi, tantaque cum toto corpore sympathia gaudentis agitur, non possunt, quin obveniant multæ et magnæ difficultates, quæ nos ab incepto tanti discriminis valde deterrere valeant. Hasce difficultates jam ulterius illustrare conabimur; eo ordine ut, primum ad pericula adtendamus, quæ uteri *inversi*, deinde ad ea, quæ ejusdem organi *prolapsi* ablationem spectant.

Caput IV^tum^.

De difficultatibus circa uteri inversi ablationem.

§. 62.

Hæmorrhagiam ex *illæsa* uteri inversi superficie jam consideravi, quatenus ea medicum ad operationem cito instituendam compellere possit. Ordo nunc postulat, ut sangvinis fluxum ceu effectum aut sequelam operationis nostræ, si ea cultri ope perficitur, contemplemur, quo, quantum in nobis est, palam fiat, quousque hoc symptoma medicum ab usu hujus auxilii jure arceat. Est quidem hæc quæstio maximi momenti; attamen, duce ratione et experientia, nostro ævo haud difficulter solvitur. Uteri inversi amputatio illico post partum instituta ob vasorum organi amplitudinem majorem quidem hæmorrhagiæ metum incutit: hoc periculum evidenter monstrat observatio *Ruyschii* o) de vulnere uteri inversi

o) "Quam male sibi consulant homines, qui ægri sui corporis curam imperitis et circumforaneis temere

lethali, et *Wrisbergii* de gravissima hæmorrhagia, amputationem hujus organi mox post partum institutam subseqvente *p*). Nihilominus tamen cruenta illa uteri ablatio etiam sub isto morbi statu, ut existimo, tuto peragi potest, si ad methodum, a cl. *Roussetto* *q*) cumprimis accurate descriptam, uteri collum liga-

committant, varii eventus tragici quotidie testantur idemque sequens observatio palam facit. Uxor cujusdam lanionis peperit nuper foetum robustum, et illico simul etiam cum placenta uterus inversus sequebatur. Quid fit? Ignarus vocatus medicaster, (cujus nomen præstat reticere) cui dubio procul ejusmodi deplorabilis affectus nunquam obvenerat. Is, loco repositionis uteri in proprium suum locum cultelli cuspide leviter tumorem tetigit, perscrutandi causa, qualis esset, an humoribus refertus tumor præternaturalis, an vero placenta uterina, p. p. Hoc temerarium et inauditum perscrutinium vitæ finem breviter imposuit: statim enim tanta suborta hæmorrhagia, ut non fuerit ferendo, quantumvis, vocatus, stegnoticis opitulari conarer; verum omnia incassum: paucis enim horis post lipothymiis subortis ultimum diem obiit." (Observat. anat. chir. XXVI. pag. 24.)

p) cfr. pag. 62. Ægrota in hoc casu tantam sangvinis jacturam perpessa, ut per 2 dies fere absque ullo vitæ signo quasi demortua jaceret.

q) vide pag. 31.

tura ita constringitur, ut hoc artificio sangvinis circuitus prius inhibeatur, quam cultro operationem ipsam perficiamus. Ad hasce nimirum *Roussetti* regulas eandem ablationem feliciter instituerunt *Meichsnerus r*), *Mauricius s*), *Favre t*), *Hunter u*), *Clarke v*), *l'Aumonier x*), *Dessault y*) et plures *z*).

Dum sub inversione habituali nostra operatio indicata sit, ut hæmorrhagiæ periculum avertatur, ad mutatum uteri habitum prius respiciendum, quam opus ipsum adgrediatur medicus. Temporis enim decursu collum uteri, circa quod ligatura injicienda, ut plurimum tantam nacta est crassitiem, quin duritiem interdum calcaream *a*), ut ligatura nullam vim exserere possit in vasa, ut-

r) vide pag. 30.
s) vide pag. 29.
t) vide pag. 69.
u) vide pag 72.
v) vide pag. 72.
x) vide pag. 68.
y) vide pag. 70.
z) vide pag. 57 & 60.
a) vide pag. 68.

pote quæ intus sita sint. Tali in casu, ut ingenue fatendum, nullum aliud superest auxilium, quam ut circulari incisione ad præcepta dext. *Richteri b)* dividatur pars superior tumoris indurata et incrassata eo usque, ut effectus optatus obtineri possit a ligatura ipsi huic vulneri injecta. Nihilominus tamen constat ex virorum cl. *Dietrichs c)* et *l'Aumonier d)* præcipue observationibus, hanc artis administrationem difficilem cum successu perfectam esse.

§. 63.

Quamvis colli uteri ligatura ad hæmorrhagiam avertendam necessaria sit, caveri tamen non potest, quin *irritatio systematis nervosi* oriatur. Hæc per se pro varia individui sensibilitate et inhysteriam proclivitate magis minusve gravia symptomata inducit. Horum præcipua eadem fere sunt, quæ ligaturam polypi uterini, magni inprimis voluminis, plerumque sequuntur, dolores violenti,

b) Anfangsgr. d. Wundarzn. Vol. VII. pag. 42.
c) vide pag. 59.
d) vide pag. 68.

respiratio difficilis, animi inqvietudo, anxietas, oppressio pectoris, pulsus exilis freqvens, intermittens, asthma spasmodicum, vertigo, motus convulsivi, tensio abdominis, tenesmus, nisus depressorii, retentio urinæ, singultus, sudores frigidi, deliria interrurrentia et facies hippocratica. Gravia hæc symptomata, quorum alia presso pede, alia serius ligaturam sequuntur, nullo vero constanti ordine in diuersis subjectis observato, invenies disposite et sollicite enarrata in exemplis hujus operationis a *l'Aumonier e)*, *Desault f)*, *Favre g)*, et pluribus alibi allatis. Quamvis artis historia nullum, ut equidem scio, sistat exemplum, e quo concludere liceat, mortem a sola systematis nervosi irritatione sub hac parte operationis fuisse inductam, negare tamen non audeo, quin allata symptomata tam gravia esse queant, ut spem felicis eventus minuant. Atqui ex voto hunc metum detrahunt non observationes solum

e) vide pag. 68.
f) vide pag. 70.
g) vide pag. 69.

de symptomatibus æque violentis ligaturam polypi uterini sequentibus, quæ ars demum vicit, sed etiam exempla de sequelis gravissimis post ipsam ligaturam obortis, sollicita tamen cura feliciter superatis. Ejusmodi exemplum inter plura memoratu dignissimum habet *Favre h*), qui refert, ægrotam his symptomatibus mox post ligaturam accedentibus vexatam fuisse per 27 dies, et tamen sat bene convaluisse.

Refugium præterea superest, quo in re nimis desperata recurrere possumus, nempe ligaturam injectam iterum auferre vel saltem laxare: anceps quidem remedium, quia medicus incertus sit, num vasa jam a strictura ita mutata fuerint, ut sangvinem cohibeant, an hæmorrhagia recrudescat, ceteris remediis, frigidis nempe, stypticis et compressione vix coërcenda; ex quo tamen, si uterus nondum abscissus, nec ligatura ad hæmorrhagiam e superficie ejus integra cohibendam injecta fuisset, nihil, ut video, metuendum sit: quapropter, ut medicus de

h) vide pag. 69.

sangvinis fluxu securus fiat, et ad præcavendam hæmorrhagiam eo in casu, si oriantur symptomata nervosa, quæ ligaturæ ablationem indicant, tanquam artis regula suadenda videtur, ut ipsa uteri abscissio *non illico* post ligaturam injectam instituatur, sed hæc operationis pars tamdiu differatur, donec id sperandum, ut vasa uteri a compressione jam coarctata fuerint, et thrombus a lympha coagulabili formatus, cujus beneficio post ligaturam demum ablatam, sanguis ne effluat, impeditur. Hoc refugium insuper semper medico patet, quamdiu uteri abscissio nondum fuit instituta. Contra eodem in casu, si jam omnia uteri vasa cultro divisa fuerint, de ligaturæ ablatione nequidem cogitari prius potest, quam ille thrombus in finibus vasorum se formaverit, eoque hæmorrhagiæ metus sublatus fuerit.

Regulam allatam sollicite observatam vides a *Clarke i*).

i) vide pag. 72.

§. 64.

Ipsam uterum auferendi methodum, plurimi artis periti cultro quidem hucusque persecuti sunt. Dubitari tamen non potest, quin ejusdem organi ablatio etiam *ligatura sola* obtineri queat: hinc mihi incumbere arbitror, ut harum utra præferenda sit, paucis inqviram. Uteri ablatio si post injectam ligaturam cultro instituitur, id commodi secum fert, ut *cito* operatio perficiatur; neque dolor sub hoc artis ministerio nimius excitatur *m*). Ex allatis jam patet, uteri abscissionem sub duplici temporis momento institutam fuisse, nempe aut illico post injectam ligaturam aut serius: in priori casu de symptomatibus nervosis forsan oriundis medicus incertus, quare si ob ejusmodi symptomata ligatura iterum auferenda sit, hæmorrhagiæ metus oriatur necesse. Dum contra serius post ligaturam injectam uteri abcissio fit, ista quidem dubia sublata sunt, at diutius

m) Exp. *Clarke* ligatura primum injecta cultro operationem finiebat tanta facilitate, ut ægrota incisionem vix persentiret. (Loc. all.)

miseratum cruciatur, priusquam operatio finita sit. Quid hic eligendum, vix dubium: periculum nempe magis quam incommoda reformidare oportet: et adeo ultima medendi methodus merito præferenda est. Alia vero hic suboritur quæstio, utrum nimirum sufficiat *sola ligatura*, cum ea ad uteri ablationem ob hæmorrhagiæ metum carere neutiquam possimus, et ejusdem effectu uteri mortificatio tempore procedente certe exspectari potest, an præferenda sit ferramentorum applicatio, antequam matrix ob ligaturam sponte decidat. Ferrum certe majorem plerumque metum ægræ incutit quam ligatura: nihilominus tamen ad consilium propositum nobis præferendum videtur. Serius enim ex ligatura exstingvitur vita uteri, quin, ut observationes docent, priusquam pars strangulata decidat, vinculi constrictiones pluries repetitæ necessariæ sunt, sub quarum reiteratione verendum, ne symptomata nervosa graviora denuo surgant. His accedit, quod lentus humorum effluxus ægram sensim debilitat, ipseque ute-

rus ligatus ob molem adauctam non modo trahendo partes internas ei adnexas irritat, sed etiam, si non prorsus extra genitalia protrusus sit, organa eidem circumposita comprimit, sic ut ob situm diversum aut tendendo aut premendo peritonitidem, retentionem urinæ, tenesmum, aliaque symptomata gravia inferre valeat.

§. 65.

Organa utero vaginæque conjuncta, et vicina, circa operationem nostram peculiarem quoque attentionem merentur. Maxime enim differunt clar. virorum judicia circa quæstionem, utrum sub uteri amputatione aliorum simul organorum læsio inevitabilis sit necne. Hæc controversia magni interest, ut dirimatur, quod ut ordine fiat, sigillatim pro nostro consilio paucis adtingamus eas partes, quæ hic considerandæ veniunt, nempe vesicam urinariam, urethram, ureteres, intestinum rectum, adpendices uteri, et deinde reliqua intestina ac omentum.

§. 66.

Vesica urinaria, ut constat, fundo suo posteriore et inferiore per arctam cel-

lulosam parti inferiori uteri, et superiori vaginæ sat firmiter est connexa. Ob hanc connexionem suspicari licet, illam, dum uterus invertitur, fortasse deorsum trahi eo usque, ut verendum esset, ne illius pars ligatura uteri simul possit comprehendi. Istam vero suspicionem tollit anatomia, quæ docet, partem istam matricis, quæ se invertendo tumorem abscindendum format, tantummodo esse fundum et corpus hujus organi: partem autem inferiorem uteri, quæ cum vesica urinaria conjuncta est, a situ naturali sub inversione vix adeo deviare. Atqui cum ligatura ex artis præscripto semper *infra* orificium uteri applicanda sit, vesicæ urinariæ apprehensio neutiquam verenda videtur.

Idem fere judicandum est de *urethra*, tanto magis, cum periculum eam ligatura comprehendendi evitari omnino possit, si ad regulas a cl. Astruc propositas ante operationem catheterem in vesicam inducamus. Neque *ureteres*, neque *intestinum rectum* ob situm eorum relativum,

si caute procedat medicus, ullo periculo exposita videntur.

§. 67.

Adpendices s. d uteri, *ligamenta* nempe *lata* cum tubis et ovariis, nec non *rotunda*, certe non possunt, quin matricem sequantur, illumque saccum ineant, qui, dum invertitur, ab illo formatur. Læsio itaque harum partium, quæ tali modo utero inclusæ sunt, haud evitari potest, si uterum inversum vel ligemus vel abscindamus. Pericula vero exinde redundantia, si ægrotæ statum adcurate consideremus, ab exstirpatione, si alias indicata sit, minus deterrere videntur. Uteri enim adpendices, simul cum eo delapse, a constrictione orificii uterini eandem, ac vasa uteri, injuriam patiuntur, quare, si constrictio tam valida est, ut gangræna uteri accedat, nihil tum verosimilius, quam ut quoque partes ei inclusæ eidem sorti sint obnoxiæ. Periculum adeo vix majus, si filo comprehendantur, et dein cum utero abscindantur, quam si, operationem metuentes, morbi exitum naturæ relinqvamus. Secus si

strictura orificii minus valida nullam quidem sive uteri sive adpendicum mortificationem induxerit. Hoc in casu e molestiis, quibus morbus comitatur, dijudicandum, utrum matrix inversa tanquam malum habituale ferenda sit, an saccus propendens simul cum adpendicibus inclusis abscindendus. Nihil speciatim ex ablatione adpendicum hic verendum esse, plura argumenta sunt, quæ doceant. Experientia enim recentiorum (ut taceamus veterum narrata de puellarum castratione) evicit, artificiosa sectione abdominis ovaria posse exstirpari et ad præpediendam hæmorrhagiam tubas ligari cum faustissimo eventu, cujus triplex exemplum sat memorabile legimus apud experientissimum *L. M' Dowell M. D. of Danville, Kentucky* n). — Similiter in quolibet fere casu de fausta uteri exstirpatione, dissectione abscissi organi unum alterumve ovarium simul cum ligamentorum parte in illius cavo invenerunt.

n) The Eclectic Repertory and analytical Review medical and philosophical, April 1817, Philadelphia. Pag. 242.

In hujus rei testimonium provoco ad observationes Clar. *Paræi*, *Rousseti*, *L'aumonieri*, et *Wrisbergii* supra allatas.

Neque hic loci silentio prætereundum, symptomata tensionis sub uteri inversione maxima ex parte ab adpendicibus detractis et strangulatis oriri, quapropter, re ex hac parte considerata, earum ablatio indicationibus pro operatione congruere videtur. En observationem cel. L'aumonier o), quæ hanc sententiam egregie illustrat.

§. 68.

Intestina demum maxime tenuia et *omentum*, quatenus sub operatione lædi possunt, ultimam exhibent rationem, quæ a nostra operatione deterrere videtur. Nihil enim primo intuitu verosimilius, quam quod ista organa, utpote laxiori vinculo nexa, et undulantia, e cavo abdominis, dum uterus invertitur, simul prolabantur, ejusque orificium apertum ineant: hæc suspicio inde etiam augetur, quod ista viscera a partibus abdominis continentibus sibi invicem continuo ita adprimantur, ut, quemadmodum in herniis accidit, facile

o) Loc. supr. allat.

impetu protrudi, imo quasi suctione, seu vacui vi deorsum trahi queant. Probabilis quidem hæc conjectura, a priori considerata, videtur: at ut certiorem viam ineamus, quid experientia doceat, perquiramus. Sub duplici respectu uteri inversio hunc in finem consideranda venit, quatenus nempe aut *subita*, aut *lente* oborta. Mirandum sane, paucissimos illorum autorum, qui de nostra operatione verba fecerunt, talem descensum post inversionem uteri *subitam* commemorasse, quin nullum, quantum scio, si solum Henricum de Heer excipias *p*), in cujus observatione tamen penitus desideratur, utrum matrix hic inversa vel simpliciter prolapsa fuerit. Ex recentioribus, qui operationem instituerunt, nemo ejusmodi prolapsus intestinorum mentionem facit: quid? quod illud a Cl. Wrisberg allatum memorabile exemplum in contrariam partem *q*) docet, intestina, quamvis per vulnus post uterum ablatum in parte superiori vaginæ distincte palpata, sub ægrotæ inspiratione, digito exploranti ad-

p) Vide pag. 56.

q) Confer Observat. supra allatam (pag. 63).

pressa, sub exspiratione iterum secedentia; neutiquam descendisse. Ante plures annos mihi uterum post partum complete inversum observare contigit, qui, nulla arte reponendus, gangræna superveniente nono die ægram necabat. In hac muliere valde macilenta facillime manu supra symphysin O. pubis abdomini imposita sentire licebat Os uteri, per quod fundus descenderat, quasi annulum duriusculum, qui, si altera manu fundum inversum(haud adeo sensibilem) sursum premebam, mox huic motioni parens partibus abdominis continentibus illidebatur. Itidem æstumatissimi præceptores, collegæ amicissimi, *M. Saxtorph*, *Herholdt*, *Jacobsen*, *Hahn* orificium matricis distincte percipiebant, idque allata encheiresi parietem anteriorem regionis hypogastricæ immediate tangere, ut pro certo asserere licuerit, nullum viscus per illud in cavum uteri descendisse.

§. 69.

Ratio, cur ista viscera haud facile simul cum utero mox post partum inverso descendant, ex mea opinione partim inde petenda, quod ipso momento, quo fundus

invertitur, vesica urinaria et intestinum rectum sibi invicem adpropinqvant, et adeo quodammodo spatium, quod uterus occupaverat, implent; partim inde, quod intestina ob superficiem eorum rotundam, glabram et elasticam facilius ostium uteri inversi transnatant, quam per id transcendunt. Omentum, si magnum et elongatum, certe facilius quam intestina hic quoad situm peccare videtur.

Certe, si tamen unquam omentum vel intestinum matricem fuerit secutum (quod accidere posse negare non sustineo, cum *Callisenius* noster id sua auctoritate confirmaverit) *r)*, tunc, dum orificium uteri se contrahendo partes delapsas eum in gradum strangulet, ut gangræna immineat,

r) "Inversio uteri, intestina continens (enterocele hysterica nonnullis dicta), therapiam inversionis in omnibus seqvitur." Syst. Chir. hod. Vol. 2. Pag. 505. *Richterus* de operatione nostra loquens, sequentia habet: "Dabey hat der Arzt wohl darauf zu sehen, daß er nicht etwa die Urinblase, oder ein Stück Darm, welche in den hohlen Stiel des Vorfalls, den die umgekehrte Mutterscheide bildet, herab sinken können, mit unterbindet. V. VI. pag. 41.

viscera quæ descenderunt, simili sorti sunt obnoxia. Ex horum organorum strangulatione symptomata, quæ orirentur, vix ab iis dignoscenda, quæ e sola adpendicum tensione enascuntur: diagnosis igitur sub hac conditione fallax, inprimis quoad omentum, cujus strangulatio non adeo cita, nec tam gravia symptomata infert, quam intestinorum incarceratio. At vero, cum in casu tam desperato, si neque intestina; neque omentum, nec uterus inversus reponi queant, adeoque, dum ejusmodi symptomata enascantur, mors in propinquo sit, non video, quid impediat, quominus etiam sub fallaci ista diagnosi manum et cultrum, tanquam ultimum remedium medicus adhibeat, spe ægram servandi, si symptomata a sola forsan adpendicum strictura oborta essent: quid? quod si vel ipsum omentum in uterum descendens simul cum hoc organo inopinate abscindatur, propterea exitus nondum absolute fatalis verendus, cum vel analogia doceat, sub aliis conditionibus (ex. gr. sub herniotomia) magna etiam hujus membranæ frustula feliciter abscissa fuisse.

§. 70.

Eo in casu, ubi intestina vel omentum cum utero sub situ ejus naturali fuerint concreta, certe haud negari potest, quin illa ab utero, si is sub hac conditione unquam subito inverteretur, necessario detrahantur. Exempla quidem ejusmodi concretionis exstant, plerumque sine dubio sequelæ inflammationis prægressæ. Imm. noster *Bartholinus s*) ejusmodi casum refert; in muliere nimirum, post diuturnos uteri (haud nimirum inversi) dolores acerbissimos, demum demortua et aperta, detegebat omentum ligamenti vicem sustinens firmissime uteri externo fundo alligatum esse. *De Haen t*) concretionem fundi uteri cum Intestino colon observavit. *Sandifort u*) obliqvitatem uteri describit a concretione fundi cum dextra parte abdominis. Wenzel *v*) uterum cum omento et intestinis tenuibus concretum vidit.

s) Centuriæ secundæ hist. 28.

t) Ratio medendi, Vol. VI. Cap. IV. §. 11.

u) Observat. anat. pathol. Lib. II. Cap. II. p. 59.

v) Ueber die Krankheiten des Uterus. Pag. 33—34.

Negari vero non potest, hujusmodi concretiones inter uterum in situ nempe naturali et reliqua viscera rarissimas esse, quod in eleganti sua commentatione cum primis testatur et miratur Cl. Wenzel *x*): et quod magis adhuc observatu dignum, ne unicum quidem exemplum in artis nostræ annalibus invenire mihi contigit, quod doceat, uterum subito inversum fuisse, ubi vera ejus concretio cum partibus vicinis locum habuerit. Hæc itaque complicatio sub ista inversionis specie parum metuenda est, quin potius ejusmodi concretiones, ob firmiorem organorum mutuam cohærentiam, uterum ipsum efficaciter sustentent, eoque ejus inversionem impediant.

Nec sub *lenta* uteri inversione intestina et omentum ab ejus cavo recipi verosimile: hic enim status morbosus semper præsupponit uteri laxitatem, ita ut istis visceribus transitus per ejus orificium patere videatur; cum vero uteri laxitas ob auctum humorum affluxum majorem semper secum ferat organi crassitiem, quemadmo-

x) Libr. citat. pag. 53.

dum de utero gravido constat, fieri vix potest, quin uterus, dum lente invertitur, sensim increscente crassitie et volumine ipse intestina a prolapsu retineat. Id saltem ex observationibus cl. *Laumonieri* y) aliorumque z) elucescit, cavum uteri pedetentim inversi hoc modo coarctari, vel deleri ita ut ipsius visceris adpendices illud prorsus implerent. In ista laxatione et aucta uteri crassitie simul vides rationem cur vel sub lenta et habituali ejus inversione, etiam dum repositio facilis, rarissime tamen intestina simul prolabantur. — Cum vero in complicato hoc morbi statu repositio sola sufficiat ad vitæ pericula avertenda, is minus cum argumento nostro cohæret, siquidem vix unquam uteri ablationem requirat.

y) V. libr. supr. allat.

z) Inter hos hic tantummodo ad exemplum illud a clar. *Blasio* (pag. 41) adductum provoco, ubi uterus tantum erat incrassatus, ut etiam vel digitorum 3 transversorum crassities notaretur.

Caput Vtum

de operationis nostræ sequelis.

§. 71.

Hæc de cautelis, quæ ipsam operationem spectant: nunc de ejus sequelis, si feliciter instituta fuerit, pauca sunt monenda: tria hic imprimis spectanda veniunt, nempe aditus aeris per vaginam in cavum abdominis: suppressio menstrui fluxus et demum interceptio leucorrhoeæ habitualis, ut plurimum quamcumque inversionem diu durantem comitantis.

Dum uterus post injectam ligaturam cultro ablatus fuerit, semper sperari potest, fore ut prorsus concrescat apertura, quam uterus abscissus reliquit. Aeris aditus ad abdominis cavum adeo verendus non est, si nostra operatio ad methodum, quam ex scriptis imprimis recentiorum laudavimus, perficiatur. — Hanc itaque operationis sequelam silentio præterire potuissem, nisi officio duxissem, ut observationibus indigitarem, äeris introitum post feliciter peractam operationem modo tum locum

habuisse, cum nulla ante organi abscissionem ligatura injecta fuisset. Hujusmodi exempla exhibent observationes clarissimi *Rousseti b*), et *Wrisbergii c*), quas hic repetere haud pigeat. Horum primus casum referens jam supra allatum, ubi nempe matrix inversa in sphacelum abiens sponte separabatur, sequentia addit: "Elle vescût "trois ans après, bien saine, quant à cela, "sinon que depuis lors elle estoit, à son "dire, plus subjecte, que devant, à se tenir "fort couverte par en bàs, ou bien endurer "douleurs de colique." — Sub obductione cadaveris "n'apparut entre la vessie et le "gros boyau (au lieu, ou devoit estre la "matrice) rien qu'un lieu vuide, d'ou passoit et repassoit aisement, et sans ren-"contre, le manche d'un gros rasoir: qui "estoit à la verité l'ouvertûre, par ou elle "prenoit froid, et la vraye cause de sa *co-"lique.*" Cel. *Wrisberg* in muliere, de qua supra jam commemoratum est, illi matricem mox post partum inversam cultro præscissam fuisse, eadem observavit: "Refe-

b) De hysterotomotokia pag. 145.

c) Commentat pag. 446.

"rebat illa, sibi singularem frigoris in ab-
"dominis intimis obvenire sensationem, si
"ventus moveretur, quasi aer per apertam
"vaginam infimum ventrem penetraret."
Mirandum est, aeris aditum graviora symptomata non intulisse.

§. 72.

Mensium suppressio, ceu operationis nostræ sequela, num ob symptomata morbosa, quæ forsan inferre valeat, verenda sit, ex principiis physiologicis et pathologicis cumprimis eliciendum. Hic fluxus, mulieri tam diu naturalis, quam ad concipiendum destinata, si sub ista periodo supprimatur, nullas fere non, ut experientia constat, noxas inducere valet. Incertum vero, an hoc respectu mulier, quæ utero caret, vel cui is abscissus fuerit, cum iis comparari possit, quæ hoc organo gaudent, anque a defectu uteri a prima couformatione ad defectum ejus arte inductum valeat conslusio. Quæ sub priori conditione ad concipiendum impares sunt, ut jam allata exempla monstrant, menstruis carere possunt sine gravioribus sequelis: vereor tamen, ut idem de iis, quibus uterus arte

ablatus, statuendum sit, quæque nempe fluxui menstruo jam adsvetæ fuere. — Laudanda itaque est prudentia Cel. *Favre d)*, qui, ut mala ex hac fonte oriunda averterentur, fonticulos applicavit. Idem judicandum existimo de iis feminis, quibus vel ante vel sub uteri inversione et ante ejus ablationem leucorrhoea habitualis jam fuerit. Non modo analogia ex aliis morbis, ulceribus v. c. inveteratis, fluxu aurium, fistula ani, similibusque, desumpta hanc prudentiæ regulam valde commendat, sed etiam infausta exempla de sequelis ex seposita illa regula verosimiliter derivandis, tanquam cautelium nunquam non post quamlibet uteri ablationem jubent fonticulorum adplicationem. Liceat hic revocare observationes jam supra (pag 26 et 69) allatas, a cl. Paræo, et a dext. L'aumoniero communicatas. In utroque casu ægrotæ diuturna et larga leucorrhoea afflictæ fuerunt: utræque operationem feliciter superarunt, et per aliquot menses se bene habuere, demum vero symptomatibus inflammatoriis correptæ, e vivis sublatæ sunt.

d) Confer pag. 69.

Utrarumque post mortem dissectione abscessus internus detectus fuit, unde forsan concludendum, quod, post subito inhibitam largam et diuturnam secretionem ex utero, pleura vel epiploon id organon fuerit, quod tanquam vicarium, uteri partes peregerit.

§. 73.

Hisce de operationis nostræ cautelis ejusque sequelis breviter expositis, locus esset de ipsa methodo uterum inversum amputandi verba facere: cum vero hæc operatio adeo gravis sit, ut modo a magistris in arte institui debeat, iique mea instructione neutiquam indigeant, sat habeo, monita quædam circa hoc momentum adferre, tanto magis, cum ipsa operatio simplicissima sit, et quidem in universum per ligaturam partis superioris tumoris et abscissionem ad pollicis circiter abhinc distantiam perficienda. *Rousset e)* jam mo-

e) Confer hujus dexterrimi viri supra pag. 32 allatam doctrinam, cui hoc in loco addere liceat ipsissima autoris verba: "il y a violente douleur, et danger, si on la lie au dessus de ceste "estroisseur separante (comme il est quelques "fois advenû)" (p. 135).

net, ut caveat medicus, ne vinculum injiciat super orificium uterinum, quod se manifestat arctiore volumine eo in loco tumoris, ubi limes inter vaginam et matricem est positus. Quid? quod si ad hujus cl. viri præscriptum ligatura paulo infra locum istum angustatum injiciatur, non solum læsionem vesicæ evitamus, sed illud quoque obtinemus, ut portiuncula uteri remanens eo arctius et firmius claustrum suppeditet, cujus ope hernia vaginalis magis præpeditur. Quo tutior sit medicus, ne vias urinarias ligatura comprehendat, *Astruc*, ut jam supra attuli, suadet catheterem vesicæ immittere ante operationem. Minus, fateor, mihi arridet Viri ingeniosissimi præceptum illud, quod, ut melius vesicæ urinariæ situs dignoscatur, ea ante operationem injecta aqua tepida distendatur; spontanea enim urinæ retentio æque bene consilio respondet, et satis notum est, vesicam a quocunque alio fluido injecto multo magis quam ab ipsa urina irritari et ad contractionem stimulari, adeo ut, nisi urethra post injectionem comprimatur, ea vix flui-

dum injectum retineat. Symptomata nervosa, si violentissima, ligaturæ relaxationem, uti supra dictum, fortasse postulant, usque dum tantum mitigata fuerint, ut iterum constrictio augeri queat eum in gradum, ut absque metu hæmorrhagiæ pars elapsa possit auferri vel cultri vel forficis ad latus curvatæ ope. — Reliqva ægrotæ tractatio, ut per se intelligitur, symptomatibus est adcommodanda.

Caput VI[tum]

de ablatione totius uteri prolapsi.

§. 74.

Ex iis, quæ de uteri inversione attulimus, deduci posse opinor, hujus visceris ablationem, dum non inversum, sed salva fundi ab orificio distantia prolapsum fuerit, vel nunquam vel rarissime indicatam esse. Symptomata enim illa, hæmorrhagia, affectio nervosa et gangræna, quæ sub inversione ad uteri ablationem cogunt, perraro

ejusdem organi prolapsum comitantur. Uterque morbus, ratione nostræ operationis habita, in hoc tantum conveniunt, quod sub uteri inversione habituali æque ac sub ejus prolapsu ulcera sive cacoethica sive cancrosa interdum necessitatem partem adfectam auferendi inferre videantur. Uterum inversum jam supra monstravimus, totum exscindi posse absque læsione aliorum organorum, quæ ad vitam necessaria sunt: sed ob situm valde diversum uteri prolapsi, hujus ablatio multo gravioribus premitur difficultatibus. Quo melius hoc illustretur, paucis attingam, quomodo situs specialis organorum utero vicinorum sub ejus prolapsu mutetur.

§. 75.

Strictissima cellulosa urethram cum vagina conjungit, nec minus firmiter vesicæ pars posterior et inferior utero annectitur. Cum uterus prolabitur, non potest, quin ab ejus segmento inferiore pars vesicæ connexa simul descendere cogatur: et vagina sub quovis prolapsu gravi magis vel minus inversa situm urethræ mutat, adeo ut interdum horizontalem directionem adi-

piscatur: exinde oboritur illud phænomenon, ut ægrotæ hoc malo afflictæ urinam non solita directione emittant, sed ut radius lotii non raro recto angulo propellatur, quin interdum ita mutetur, ut ægrotæ abdomen irroret *f*). Si adeo uterus tantum descenderit, ut extra genitalia propendeat, tunc ut plurimum superficies tumoris anterior vesicæ obtecta est et in parte anteriore elongata et inversa vaginæ urethra est inclusa. Hanc nostram demonstrationem, ex anatomia pathologica petitam, apprime illustrant et confirmant 2 illæ historiæ a *Ruyschio* supra allatæ, prima de cystotomia infra pelvim sub uteri prolapsu instituta, altera de eventu exstirpationis uteri prolapsi tristi ob urethram simul a ligatura comprehensam *g*).

f) Ad hanc dislocationem urethræ medicus justo minus attentus, persæpe catheterem solito modo applicans, non valet scopum attingere: sed cogitur instrumento horizontalem directionem dare, quo in vesicam penetret.

g) Confer ejus observationes, supra (Pag. 54.) allatas.

§. 76.

Sive uterus extra pudenda prolabatur, sive adhuc in vagina inclusus sit, inferior ejus pars semper a vagina, superior vero a peritonæo obtecta est: nullo modo ideo vaginæ et peritonæi læsio gravissima evitari potest, si matrix tota exstirpatur: atque si ad duplicem methodum, qua hæc uteri ablatio institui potest, respicimus, nempe ad *ligaturam* supra ejus fundum, cum adeo prolapsus sit, injiciendam atque ad organi totius *exscissionem* cultri ope, harum neutram sine vitæ periculo perfici posse existimo. Ponamus enim, ligaturam circa vaginam supra fundum uteri extra genitalia propendentem injectam esse, quales inde sequelæ inevitabiles? Ut de symptomatibus nervosis a strictura oriundis taceam, fieri non potest ista operatio, quin semper pars vesicæ et urethra, interdum ureteres, imo intestinum rectum (si id præter naturam dilatatum et quasi recessum formaverit in vagina eminentem,) simul cum vagina et uteri adpendicibus nec non peritonæo constringantur, quæ itaque artis admini-

stratio saltem ob urinæ retentionem mortem absolutam inferret.

Neque minus infaustum eventum portendit uteri prolapsi exscissio vel enucleatio *cultri* ope. Si enim unquam operatio ad hanc methodum audacter institueretur, non solum perdifficile esset, urethræ cumprimis et vesicæ læsionem evitare, sed necessarium simul esset, ligamenta uteri rotunda, tubas, et, quod maxime verendum, nunquam non magnam illam peritonæi portionem, quæ cum fundo et corpore uteri arcte cohæret, simul auferre: quo facto magnum istud vulnus penetrans abdominis non posset, quin liberum aeri aditum ad peritonæi saccum, et organis eidem inclusis liberum exitum præberet. — Ex utroque, ni fallor, mors æque ac si ligatura applicata esset, inevitabilis, quare ad miracula fere referendum, si quæ unquam e tali operatione superstes evaserit. Nihilominus tamen ejusmodi exemplum de inscita, temeraria et crudeli artis administratione supra *h*) allatum invenies, uteri nem-

h) Cfer. Pag. 61.

pe totius avulsione cum inexpectato, quin portentoso felici eventu.

§. 77.

Rationibus allatis innitens, spero me non sententia falli, si hanc operationem, uteri nempe prolapsi totius exstirpationem, licet serius a viris clarissimis *i*) commendatam, tamen ex artis thesauro omnino proscribendam existimo. Fateor quidem, præter observationem nuper allatam alias exstare, quæ docent, si fides narratis habenda sit, uterum totum prolapsum ablatum fuisse *k*), et quidem feliciter; at vereor, ne in his observationibus eorum autores erraverint: interdum enim, cum vagina modo prolapsa sit, sub temporis decursu ejus tunica interna diu extrorsum propendens, adeo intumescit, incrassescit et indurescit, ut pars procidua uterum simulet: quid? quod orificium vaginæ in ejusmodi casu interdum prorsus concrescit, ita ut, quid de

i) Wenzel "über die Krankheiten des Uterus pag. 169."

k) Confer supra pag. 20 et sequ., ubi veterum haud pauca testimonia de felici operationis successu prolata invenies.

organi prolapsi natura judicandum sit, perquam difficile. Quid ergo mirum, si tam fallax morbi facies medicum aliquando deceperit, vel si vere crediderit, se uterum abstulisse ubi vaginæ partem modo abstulerit. Ita se ipse fatetur ſeductum cl. *Winzmann l*). Nec equidem possum, quin duce illustrissimo *Morgagni m*) de aliorum doctorum exemplis ejusdem generis idem judicium feram.

Caput VII[mum]

de ablatione uteri partiali, præſertim ob cancroſam ejus adfectionem.

§. 78.

Inter omnes illos adfectus, quibus sexus sequior est obnoxius, inter omnia illa mala, quæ ex muliebris corporis organismo scaturiunt, nullum certe magis crudele imperium exercet, quam cancrosæ adfectiones ipsarum partium, quibus feminæ munus

l) vide pag. 79.

m) Epist. anat. medica XLV.

suum sanctum et augustum, propagationem nempe generis humani, obit. Eo magis extimescenda sunt ista mala, quia illa ad hodiernum usque diem tristissimum medicorum opprobrium sistunt, quatenus nempe nullum adhuc remedium inventum sit ad illa profliganda Haud adeo mirandum, si avide excepta sit unaquæque ratio, ex qua spes aliqua elucescit quodammodo saltem subveniendi ærumnis gravissimis, quibus hac de parte sors iniqua sexus infirmioris premitur. Præcipuum remedium, quod contra eundem morbum in aliis organis haud absque successu quotidie adhibetur, exscissio nempe partis adfecti, ad nostrum usque ævum pauci modo artis magistri suadere, pauciores adhuc adhibere ausi sunt, neque id sine ratione. Morbus enim, scirrhus et cancer, qui nonnisi cultro auferri potest, inprimis in organis a natura absconditis, adeo adcuratam perquisitionem affectionis neutiquam admittit, ut medicus de natura mali certus utique esse possit, antequam de operatione instituenda cogitet. Si de cancro mammæ v. c auferendo quæstio est, feliciorem semper eventum præ-

sagire licet, dum glandulis axillaribus exploratis nullam in iis affectionem detegimus: secus in uteri cancro, cum in medici potestate non sit, neque totam organon palpare, neque glandulas hypogastricas et lumbares, quas vasa lymphatica uteri adeunt, explorare. Incertum itaque semper manet, en utrum morbus totum organon an ejus modo partem occupet, numve virus resorptum humores jam inquinaverit, aliaque viscera dissita affecerit.

§. 79.

Hæc incertitudo de possibilitate omne, quod corruptum, auferendi sine dubio medicos ad nostrum fere ævum absterruit, quo minus uteri partialem ablationem ceu remedium tutum commendaverint. Negari non potest, viros egregios jam ante secula de hoc artis arduo adminiculo non modo cogitasse, sed etiam, si fides iis habenda, audacter id cum successu adhibuisse *n*).

n) Inter hos viros eminet noster *Moht*, de quo immort. *Bartholinus* (Cent. II Hist. VI) refert, quod feminæ, cui segmentum inferius uteri prorsus corruptum, illam partem ferro abstulerit et quidem eo cum successu, ut mulier decursu an-

Neutiquam tamen uteri partialem ablationem prius quam nostro ævo in artis thesauro servatam tanquam remedium fide dignum invenimus. Celeberrimo Wrisberg gratiam debemus, quod is denuo eruditorum attentionem in hanc operationem direxerit *o*). Parum tamen is laudabili hoc conamine effecisse videtur. Surgit demum *Osiander*, vir autoritate et experientia eximius, qui non modo artem hoc remedium administrandi uberius exposuit *p*), sed id sæpius ipse pluribus medicis præsentibus dextere et feliciter adhibuit. Quantam spem vir ille sua hac de re commentatione excitaverit, vel ex eo liquet, quod celeb. *Hufeland q*) eum ceu hujus methodi si non inventorem tamen restauratorem vel ultra laudes meritas cum immortali *Jennero* comparavit. Paucis tamen, quod mirum, arrisit operatio nostra ita laudibus evecta;

norum duorum rursum conceperit. Plures veterum, si credere fas sit, similia conati fuerunt, (confer pag. 20 et sequentes).

o) Confer pag. 65.

p) Confer supra paginam 73.

q) Journal der pr. Heilkunde. Vol. XVI. Sect. 3tia Pag. 135.

eam enim scriptores vel intactam reliqverunt, vel ei minus faverunt *r*), quin illam tanquam incertam imo crudelem damnarunt alii *s*), seque ejus administrationi acriter opposuerunt: nec, quantum scio, ullus nostro ævo eam instituere ausus est, nisi unicus, nempe celeb. *Rust t*), sed, pro dolor, absque successu.

Tanto magis nobis id tanquam officium incumbit, in difficultates hujus methodi adcurate inqvirere.

§. 80.

a) Primum hoc consilio spectandum venit, an unquam in vero uteri scirrho vel cancro, *omne* illud, quod *vitiatum* est, operatione auferri possit. — Nisi enim quolibet in casu de hac re persuasi sumus, parum ab hóc artis remedio exspectandum, idque

r) vide Jorg Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipzig 1809. Pag. 556. — Siebold Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmer Krankheiten Francof. ad Moenium 1811, Pag. 501.

s) Wenzel über die Krankheiten des Uterus, Pag. 148 et seq.

t) Uebersicht der Ereigniße im Wiener Krankenhause. Pag. 115.

adhibere nefas, cum morbus, nisi omne, quod infectum, una auferatur, citius in pejora ruat *u*). — Scirrhus uteri certe, ut experientia docet, nunquam fere non ab illa parte organi incipit, quæ cultro potest attingi, collo nempe et orificio; dissectiones autem haud paucæ monstrarunt, malum rarissime, si unquam, ad hanc partem diu limitatum fuisse, sed sæpissime non solum corpus ipsius uteri, sed ovaria, vaginam, vesicam et reliqva organa vicina, præsertim glandulas lymphaticas magis vel minus ab hoste insidioso occupata fuisse. Id inprimis observationibus illustravit celeberr. *Wenzel v*). — Contra cancrum localem et incipientem, dum modo inferiorem partem uteri occupat, nostra operatio, ut observationibus suffultus innuit *Osiander*, indicata esse videtur: at vero cum diagnosis scirrhi uterini incipientis fallax, neque sub

u) "Si dirissimi tumoris exstirpatio ipsum seminium "auferre nequit, atrociora post illum mala ex- "pectanda sunt, et si qua pars remanet, carcino- "ma crudelius insurgit." (vide *Callisen.* Systema chirurg. Pars IIda, Pag. 133).

v) v. libr. supra allat.

morbi primordio symtomata adeo graviter ægrotam vexent, mirum non est, si neque medicus nec ægra, utpote de maligno morbi genio nondum persuasi, de ablatione partis affectæ prius cogitent, quam malum eo usque serpserit, ut omne, quod corruptum, tuto auferri amplius nequeat.

Fallacem revera cancri uterini diagnosin esse, vix opus est, ut ulterius probemus; *nunc* eum enim produnt *induratio* cartilaginea, ulcera magis minusve profunda, ichorem foetidum copiosum fundentia, et dolores atrocissimi: *nunc* luxuries organi *spongiosa*, excrescentiæ, ariditas et insensibilitas morbum enuntiant: quare sub ejusdem morbi tam varia facie is, ut jure monet *Callisenius* noster *x*), e symptomatibus definiri vix potest. En rationes, cur de nostra operatione ut remedio contra cancrum uteri parum in genere expectandum: eædem simul dubium excitant, num semper saltem uterus vere cancrosus fuerit, ubi operationis administratio inopinato successu coronata fuit. Felix itaque, quem prima morbi origo haud fefellit: in quolibet

x) vide ejus systema Chirurg. Vol. 2. pag. 151.

enim uteri morbo maligno, quæ cancri imminentis metum mouet (ulcere, excrescentia similique affectu, a quacunque causa organon prolapsum irritante, oborto) valet, ut existimo, tritum illud proverbium: principiis obsta: sero medicina paratur.

§. 81.

b) Altera difficultas, qua operatio premitur, ex *hæmorrhagia* oritur. Hæc operationis sequela haud tamen in omni casu æque metuenda est: id experientia sat superque confirmatum invenies. Rationem hujus discriminis e varia morbi facie deducendam existimo: si enim organon adfectum quasi spongiosum luxuriat, vel excrescentiæ molles largiter propullulent, tunc certe profluvium sangvinis sat largum extimescendum est: secus vero sub altera mali facie, dum nempe organon durum, aridum et sensus acuti expers; minus enim tum vasa illius sunt evoluta: eadem potius a duriori materia in cellulis contenta quodammodo compressa: nec in hoc casu nova vasa in materia plastica tam ubertim sunt prognata. — Apprime in hæc quadrant observationes. *Osiander* enim, cujus experientia cir-

ca hoc argumentum eminet, pluries sub prima morbi facie gravissimam hæmorrhagiam operationem stipare vidit *y*): idem cl. vir, semel saltem, præsente experientissimo nostro *Withusen*, partes uteri scirrhosi duri insignes abstulit, vix ullo sangvinis fluxu superveniente. Clarissimum *Rust* sub prima morbi facie partes affectas abstulisse, funesto ob hæmorrhagiam insequentem eventu, jam antea monui *z*).

Facies igitur morbi bene consideranda, omniaque juste ponderanda, priusquam opus adgrediamur.

§. 82.

c) Tertia difficultas, quæ partialem uteri ablationem spectat, e diverso uteri morbosi *situ* pendet. Uterus enim cancrosus aut adhuc in situ suo naturali hæret, aut magis minusve prolapsus est: quamdiu vero is vagina et pudendis absconditus est, non modo difficillime exploratur, sed illud artis adminiculum vix absque vaginæ, quin aliarum partium læsione adhiberi potest. Hanc ob rationem celeb. *Osiander*, si ute-

y) Cfr. Göttinger gel. Anz. 1808. No. 130.

z) vide ejusdem observationem supra allat. pag. 77.

rus nondum prolapsus, eum vel filis traductis, vel forcipis ope sensim protrahere suadet. Utraque vero methodus magnis difficultatibus premi videtur. Verendum enim, ne fila trajecta uterum morbosum, inprimis si is mollis ac spongiosus, facillime transcindant, aut forceps eum, etiam si durum, contundendo prius dilaceret, quam ut organon ipsum vim detrahentem sequatur. Dubius hac de re, præsentibus viris experientissimis, *Saxtorph*, *Herholdt*, *Thal*, *Barclay* et *Gebhardt*, ipse in cadaveribus uterum filis protrahere expertus sum. Restiterunt autem sub hisce nostris experimentis uteri ligamenta tam valide, ut ne maxima quidem vi adhibita eum a situ suo naturali divellere valeremus. Confirmatum itaque vides, quod jam ante secula experimentis edoctus asseruit Cl. *Meekeren*, uterum nempe nullo pondere deorsum moveri posse *a*).

Licet itaque de successu uterum protrahendi valde dubito, autoritate tamen cl. virorum, *Osiandri* et *Wenzelii* adductus quin sub statu uteri morboso hoc organon artis ope interdum deorsum cogi posset, prorsus negare non audeo. *Wenzel b*), cui methodus Osiandri operationem faciendi minime arridet, præsertim quia per illam omnes partes corruptæ auferri nequeant,

a) vide supra Pag. 46.

b) Libr. citato pag. 169.

eam tantummodo cum spe successus fieri posse credit, si totus uterus scirrhosus forcipis fortioris ope eo usque detrahi posset, ut fundus uteri extra pudenda hæreret, supra quem adeo ligatura injiceretur; hoc ejus consilio quidem totum viscus adfectum eradicari posset, sed ut supra c) jam ex observationibus *Ruyschii*, et aliorum monuimus, viarum urinariarum læsio ægram indubie necaret. Vides itaque incl. *Wenzelium*, dum haud clementer Osiandrum taxat, ipsum ab altera parte vel acriorem reprehensionem mereri.

Sic incidit in scyllam, qui vult vitare charybdin!

§. 83.

Locus hic demum esset de methodo ingeniosissimi *Gutberlet* d), uterum nempe per vulnus abdomini arte inflictum auferendi, judicium ferre: cum vero hæcce methodus a qualibet parte considerata nimis difficilis et crudelis videatur, nullumque exemplum exstet, quod eam, salva ægrotæ vita, institui posse persuadeat, supervacuum existimo in ejus examinatione lectorem ulterius detinere.

Ita, utinam non nimis prolixe, argumentum nostrum pertractavimus. Prius

c) vide pag. 54. 55.

d) vide supra pag. 78.

tamen, quam huic disquisitioni finem imponamus, ejus summam paucis repetere haud supervacuum erit. Rationes ex physiologia et pathologia petitæ docent, nostram operationem, salva ægrotæ vita, institui posse, quod idem observationes fide dignæ ex artis historia deprompta confirmant. Eandem, æque solidis rationibus ducti, existimamus haud prorsus damnandam, sed interdum tanquam ultimum artis remedium indicatam esse, nempe, ut liquet,

a) sub inversione uteri,

1) ob hæmorrhagiam,
2) ob affectiones nervosas,
3) ob gangrænam,
4) ob leucorrhoeam.
5) ob ulcera ejus maligna,

b) sub prolapsu uteri, sed rarissime, si nempe scirrhus vel cancer colli ejus *localis* adsit.

Obstacula, quæ operationis administrationi se objiciant, plerumque ab artifice gnaro et experto vincipose, quantum in me erat, probare conatus sum. Cæterum confiteor, fortunam nemini tam constanter deditam esse, ut multa tentanti ubique respondeat.

Errata.

Pag. 15.	Lin. 19.	gaudens --	lege :	gaudebat.
— 16.	— 11.	Plura ejus	—	Plura ejusmodi exempla.
— 17.	— 4.	pendeat --	—	penderet.
— 29.	— 7.	colligat --	—	colligeret.
— 36.	— 8.	fuissi ---	—	fuisse.
— 39.	— 8.	qaurto ---	—	quarto.
— 48.	— 19.	divaricare	—	divaricari.
— 50.	in nota 4.	ablatæ ---	—	ablata.
— 54.	— 18	veri ----	—	viri.
— 58.	— 8.	ʒgenariam	—	ʒcenariam.
— --	— 15.	signæ --	—	signa.
— 59.	— 4.	abscissine	—	abscissione.
— --	in nota 2.	deß ----	—	der.
— 76.	— 20.	Lecretianæ	—	Levretianæ.
— 88.	— 7.	cautissimi	—	cautissime.
— 93.	in nota 7.	qui a ---	—	quia.
— 125.	in nota 1.	Clarke --	—	L'aumonier.
— 127.	— 16.	delapse -	—	delapsæ
— 140.	— 15.	cautelium	—	cautelam.
— 150.	— 15	adfecti -	—	adfectæ.
— 151.	— 8.	enutrum	—	utrum.
— 160.	— 16.	4) ob leucorrhoean deleatur.		

Cetera errata L. B., ſpero, ipse emendit.